

AB

50B 3

h, 21

IX A. 35

149a

Am Jan

149 ~~100~~

XVI. 8. a



11. 1. 111.



JACOBI RITTERI
LUCUBRATIONES FEUDALES



HALLE SAXONUM
Anno 1668.

L 1776, 582

JACOBI RITTERI
SECRET. SAXON. HALL.

LUCUBRA-
TIONES FEU-
DALES,

QUIBUS

TOTUM JUS FEUDALE
ACCRATA METHODO
DELINEATUR.



HALAE SAXONUM.
LITERIS MELCHIORIS OEL-
SCHLEGELII.
ANNO M. DC. LXVIII.

LOTHARIUS III. IMPERATOR.

2. Feud. tit. 52.

IMPERIALIS BENEVOLEN-
TIAE PROPRIUM ESSE JUDI-
CAMUS, COMMODA SUBJECTO-
RUM INVESTIGARE, EORUMQUE
CALAMITATIBUS DILIGENTI
CURA MEDERI.



REVERENDISSIMO. ET. SERE-
NISSIMO. PRINCIPI. AC.

DOMINO.

DOMINO

CHRISTIANO.

DUCI. SAXONIÆ. JULIÆ. CLI-
VIÆ. ET. MONTIUM. POSTU-
LATO. ADMINISTRATORI.
EPISCOPATUS. MARTISBUR-
GENSIS. LANDGRAFIO. THU-
RINGIÆ. MARCHIONI. MISNIÆ.
ET. UTRIUSQUE. LUSATIÆ.
COMITI. MARCÆ. ET. RAVENS-
BERGÆ. DYNASTÆ. IN. RA-
VENSTEIN.

DOMINO. SVO. CLEMEN-
TISSIMO.

HOC.

QUICQUID. EST, LUCUBRATIONUM.
FEUDALIU.

IN.

HUMILLIMAE. SUBJECTIONIS.
ΤΕΚΜΗΡΙΟΝ

SACRUM. ESSE. CUPIT.

REVERENDISSIMAE. SERENI-
TATIS. SUAE.

DEVOTUS. SERVUS. ET. ADMI-
RATOR,

Jacobus Ritter.



יתרת:

PROOEMIUM AD
LECTOREM.



Um B. L. vino vendi-
bili, uti tritum habet,
nulla opus sit hederæ;
Juris vero Feudalis tanta utili-
tas, ut ea vix ulli Juris Commu-
nis nostri parti tribui possit;
multa in laudem ejus scribere,
Et ne proœmium tractationem
excedat ipsam, lubens superse-
deo. Hoc unicè Terogatum vo-
lo, ut hoc quicquid est ingenii
mei tenuis laboris, inibiq; for-
sit an reperti erroris, æ qui bo-
niq; consulere, Et pro benivola
tua innata humanitate corri-
gere velis, Vale Et fave.

A

Schema

**SCHEMA ET DISPOSITIO
TOTIUS OPERIS.**

CAP. I. DE ORIGINE FEUDORUM.

II. DE AUTORITATE JURIS FEUDALIS.

III. DE NOTATIONE ET DEFINITIONE FEUDI.

IV. DE DIVISIONE FEUDI.

V. DE CAUSSA EFFICIENTE FEUDI.

VI. DE MATERIA FEUDI.

VII. DE MODIS CONSTITUENDI ET ACQUIRENDI FEUDUM.

VIII. DE FINE ET EFFECTU FEUDI.

IX. DE CONTRARIIS FEUDI.

X. DE JUDICIO FEUDALI.

CAPUT I.



CAPUT I.

DE ORIGINE FEUDORUM.

SUMMARIA.

- I. *Jus Feudorum est antiquissimum, & obser-*
vantia introductum.
- II. *Nativitas Feudorum.*
- III. *Occasio & Causa Feudorum instituendo-*
rum.
- IV. *Initia Feudorum olim erant valde tenuia.*

§. I.

Ius Feudorum consuetudinarium; antiquissimum esse, & observantia & moribus primitus introductum, id inter omnes convenit, Feudista ipso attestante. 1. F. t. 1. §. 1. confer t. 28. 2. F. t. 26. & textus alios passim.

§. II. De nativitate verò Feudorum, & ad quod tempus ista referenda, non una est interpretum sententia. Quidam primam Feudo-

rum causam ad prædia tributaria & stipendiaria referunt. *Lucas de Penna.* Quidam Feuda cum ipso genere humano prodiisse autumant. *Niell. init. Disp. Feud.* Alii aliter. *vid. D. Struv. in Synt. Jur. Feud. c. 1. th. 3. n. 8.* Si veritati propius accedere liceat, interesse putârim, an de Origine Feudorum, an verò de primitiis Juris Feudalis moveatur quæstio? Feuda Gentibus Germanicis suos debere Nates, rectior *Grotii, lib. 2. de jure belli & pacis, c. 7. n. 21.* ferè opinio, quàm datis rationibus sequitur *Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. d. c. aphor. 3. n. 1. & 2.* Quamvis de Gothis meritò dissentiam, cum *Giphano, de Feud. Jur. c. 2.* *Dn. Zieglero, in annot. ad Grot. d. c.* Jus autem Feudale, quod Corpori Juris hodie insertum, ex consuetudinibus Longobardorum, qui circa annum Christi 568. Imperante Justino ex Germaniâ Italianam profecti, ejus partem quæ Longobardia vel Lombardia audit, occupârunt, & ibi moribus Feudalibus, ut in Patria, usi fuerunt,

erunt,

erunt, quos tunc temporis Gentes viciniores imitatae & secutae sunt, *Hunn. Tr Feud. c. 1. de orig. Feudi. Molin. in consuet. Paris. t. 1. n. 6.* prodire cepit. Id quod & frequens Legum Longobardicarum in Jure Feudali mentio, 2. *F. t. 1. § t. 39.* & vocabula ipsa, usui Feudorum inservientia, arguunt. *Hotom. in Disp. Feud. c. 3.* Hinc quid de illorum opinione, qui Feuda ex Jure Romanorum pro manasse judicant, statuendum, ex se etiam liquet, cum secundum Feudistam Jus Feudale Legibus Romanis sit contrarium, & nihil in illis de eo cautum, *d. t. 1. Duar. in Comment. consuet. Feud. c. 3. n. 4.* His Consuetudinibus accesserunt Constitutiones nonnullae Imperatorum, veluti *Conradi II. 1. Feud. t. 1. 2. F. t. 34. § 40.* *Henrici III. 2. F. t. 57.* *Lotharii III. vel rectius II. 2. F. t. 52.* & *Friderici I. 2. Feud. t. 27. 53. 55. § 56.* & Pontificum, videlicet *Urbani, 1. F. t. 6.* Compilatores harum Consuetudinum Longobardicarum non ineptè dix-

rim Gerhardum Nigrum & Obertum de Orto, (Consules Mediolanenses, *Otho Frising. 2. de rebus gestis Friderici*) ex ipsis illis conjecturis, quas, honorem incerto vindicans auctori, affert Dn. Struvius *d.c.aph. 5. n. 2.* De moribus vero Feudalibus Saxonis & Suevicis incertum magis fateor Collectorem cum eodem Dn. Struvio, *d.l.n. 5.*

§. III. Occasio & causa Feudorum instituendorum fuisse videtur, ut essent beneficia militaria, per quæ Principes beneficiarios ad servitia bellica sibi adjungerent, & beneficiarii de hinc haberent, unde se honeste sustentare possent. Quo etiam Carolus Magnus Imperator quondam procul dubio spectavit, cum Nobiles Germanos, subactis Saxonibus, ita alloqueretur: *Ite milites mei, vos Heroes vocabimini, Socii Regum, Judices criminum, vivite posthac laboris expertes, consulite Regibus publico nomine, favete orphanis, juvate pupillos, consilio circumdate*

Prin-

Principes, ab his victum, & vestitum
& stipendium petite : Si quis nega-
verit, inglorius infamisque esto: Si
quis injuriam vobis intulerit, reum
se Majestatis agnoscat. Vos autem
cavete, ne tantum decus, tantumque
privilegium, justo bellorum labore
partum, aut ebrietatis, aut scurrili-
tatis, aut aliquovis vitio maculetis,
ne quod largimur vobis ad gloriam,
redundet ad pœnam, quam de vobis
sumendam, si fortè excesseritis, No-
bis & Successoribus nostris, Roma-
norum Regibus, perpetuò reserva-
mus. *Christianus Matthie in Theatr.
Hist. Theor. Pract. p. 824.* Sic Vasalli
sæpius milites in libris Feudorum
nuncupantur; i. F. t. 21. 22. 23. quam-
vis hodie Feuda ad alia quoque ho-
nesta officia in pace obeunda conce-
dantur. *Rittersh. part. Feud. lib. 1. c.
1. n. 4.*

§. IV. Ad Feudorum originem
hoc etiam spectat, quod initia eo-
rum valdè tenuia fuerint. Antiquis-
simo enim tempore in potestate Do-
mino-

minorum erat, ut quando vellent, Feuda revocare, possent; Deinde temporis tractu, per annum tantum valuere; Tertio ad vitam usque Vasalli producebantur, & morte ejus expirabant. Quarto ad filium Vasalli, quem Dominus eligebat; Quinto ad omnes Vasalli filios æqualiter; Sexto ad Nepotes ex filio perveniebant; Septimo Frater Fratri quoque in Feudo succedebat; Octavo ceteri Collaterales usque ad septimum gradum, hodie in infinitum; Et Nono denique descendentes Masculi in infinitum, quod nunc usque in diem observatur. 1. F. t. 1. §. 1. 2 3. 4. 2. F. t. 50. vide tamen infra de Feudo antiquo & novo. Et tantum de origine Juris Feudalis.

CAPUT

CAPUT II.

DE AUTORITATE
JURIS FEUDALIS.

SUMMARI A.

- I. *An liber Feudorum sit Authenticus?*
- II. *Juris Feudalis definitio.*
- III. *Jure Feudali obligantur non tantum Se-
culares, sed & Ecclesiastici.*
- IV. *In decisione controversiæ Feudalis ante o-
mnia tenor Investituræ inspicien-
dus est.*
- V. *An Capitula extraordinaria cum ordina-
riis eandem habeant auctoritatem?*

§. I.

Iura Feudalia consuetudines initio
fuisse, ex antecedentibus, ut & in-
scriptione Librorum Feudalium, i-
tem Rubrica 2. F. t. 28. & 33. patet.
Quæritur itaque quid de autoritate
eorum sit statuendum, & num Feu-
dorum Liber sit authenticus? Sanè
cum in libris Feudalibus, non tan-
tum consuetudines, à privatis descri-
ptæ, sed etiam Imperatorum consti-
tutio

tutiones exhibeantur, uti ex capite
 priori Liqueat; de Impp. constitui-
 onibus, illas auctoritatem & quidem
 Juris scripti habere, nemo ambigit;
l. i. ff. de constit. Princ. Consuetudines
 verò, eò quod literis consignatæ, ad
 legem scriptam referri non possunt;
 Non enim scriptura, sed expressa Ma-
 jestatis vel Legislatoris sanctio, jus
 tale constituit, quod ab accidente,
 scriptura dicitur. Neque Goldasto
 annuendum, consuetudines hasce
 Friderico I. Imperatori in scriptis
 oblatas, & ab eodem, cum consensu
 Imperii Principum Statuumque so-
 lenniter fuisse approbatas, cum con-
 firmationis ejuscemodi nullum ex-
 tet vestigium. *Dn. Struv. d. c. i. aph. 7.*
n. 5. & 6. Non tamen destituuntur illæ
 auctoritate Juris non scripti; Cum
 prout in scripturam redactæ, per In-
 terpretes & Commentatores in Scho-
 las Germaniæ, & ex Scholis in forum
 translatae, atque ita tacito Imperato-
 rum & Statuum Imperii usu, eorun-
 demque admittentium consensu, in
 vim

vim consuetudinis generalis receptæ fuerint. *Arthur. Duck. de usu & auctor. Jur. Civil. Rom. l. 1. c. 6. n. 7. & seqq. Dn. Struv. d. l.* Ex quo fit, ut non amplius pro specialibus Longobardorum Consuetudinibus habeantur, sed pro Jure Communi, quippe quod & Juris Communis corpori insertæ fuerint. *Schrader. de Feud. p. 7. p. 9. pr. Sect. 3. n. 123. & seqq. Dn. Ziegl. ad Grot. d. l.* Accedit, quod Libri Feudorum longissimo tempore, cujus initii memoria non extat, pro authenticis habiti & recepti fuerint. Jam tanti temporis usus vim privilegii obtinet, & pro lege & jure servatur. *l. 32. §. 1. l. 33. 38 ff. de U. l. hoc jure. §. ductus. ff. de aqua cottid. & Dd. communiter. vid. Schneid. in Epit. Jur. Feud. p. 1. n. 4.*

§. II. Jus Feudale itaque est, quod circa bona Feudalia ulu introdu-
ctum, tacitoque Imperatorum & Im-
perii Statuum consensu, pro Jure
Communi comprobatum.

§. III. Obligantur autem hoc Jure
non

non tantum Seculares, sed & Ecclesiastici. *c. si diligenti. §. fin. c. verum & c. transmissa. de foro compet. Rosenth. de Feud. c. 1. concl. 9. n. 9.* Et secundum hoc Jus in omnibus controversiis Feudalibus iudicium formandum, ex illoque præprimis sumenda decisio. In materiâ namque suâ, non tantum Juri Romano, cujus autoritas non vilis, præfertur, *2. F. t. 1. de Feud. cognit.* Sed & Canonico, *Vult. de Feud. l. c. 1. n. 9.* & utrique derogat. *Wesenb. tract. Feud. in proem.*

§. IV. Notandum tamen, quod in decisione controversiæ Feudalis, ante omnia tenor Investituræ inspiciendus sit, ut appareat, quid convenit inter contrahentes. *arg. t. 18. 2. F. ibi, propter tenorem investituræ insertum.* Sic consuetudo Loci, seu Curiaë cujusdam specialis, quæ semper generali præfertur, quoque attendenda est, cum in toto jure generali per speciem derogetur. *l. in toto ff. de reg. juris. Gail. 2. Obs. 149. n. 10.*

§. V. Quæritur hîc, quid autoritatis

tis

tis capitulis extraordinariis, à Cujacio Feudorum Libris insertis, tribuendum sit? Et quod illa auctoritatem eandem cum Ordinariis non habeant, sed Apocrypha, Alvaratto *Prolog. in capit. Extraord. interprete* censeantur, licet Jus contineant in Ordinariis forte nō decisum, recte sentit Rosenthal. c. 7. *concl. 33. n. 17.* & Carpzov. *Disp. Feud. i. th. 21.* Quippe cum non perinde ut ordinaria in Scholas & Forum recepta sint. Ad declaranda tamen Capitula non satis clara non ineptè adhibentur. Hartman. *Pistor. lib. 2. q. 15. n. 43.* Non verò inde sequitur, ut vult Finckelthaus, *Disp. i. Controv. II. & Observ. 87. n. 8.* quod sint ejusdem cum illis auctoritatis. *vid. Dn. Struv. d. c. 1. th. 7. n. 10.*

CAPUT

CAPUT III.

DE NOTATIONE
ET DEFINITIONE
FEUDI.

SUMMARI.

- I. Feudum deducitur à vocula antiqua Fede^s
seu Fide.
- II. Feudi varia acceptio & Definitio.
- III. Feudo opponitur Allodium.

§. I.

FEUDI verbum Longobardicum
esse, supra capite primo innui-
mus. Deducitur autem non à fœ-
dere, uti Zasius vult. part. 1. & Soub.
part. 2. n. 32. nec à Vacelleto seu Vas-
leto, quod ministrum sonat, ut Conn.
& Hotom. sed à voculâ antiquâ Fede,
quæ Longobardis idem est quod Fi-
des, quo & Feudista respexit, Feudum
seu Fedum, à Fide, vel Fidelitate de-
rivans. 2. F. t. 3. fin. In fide namque,
tanquam forma, quæ cuique rei su-
um dat esse & nomen, Feudum con-
sistit, dum hoc datur, ut illa præste-
tur. 2. F. t. 23. Hinc Feudatarii seu
Vasalli

Vasalli, Fideles, Germanicè Liebe
 Getreue/ nuncupari solent. *i. F. r. i.*
§. 1. 2. r. 10. & passim. Germanis Feu-
 dum dicitur ein Lehn/ à Leudis seu
 Leodibus, vel verbo Germanico
 Leihen; Und heist ein Lehn/
 dasjenige/das aus Gnaden ge-
 liehen ist worden. *Ruding. Sing. Ob-*
serv. cent. 3. Obs. 35. n. 1.

§. II. Accipitur vero vocabulum
 Feudi variè; 1. Objectivè, & deno-
 tat ipsum prædium, seu rem feuda-
 lem; 2. Efficienter, pro concessi-
 one seu actu, quo sive contractu
 quodam interveniente feudum con-
 stituitur. 3. Effectivè, pro Jure
 Domini in Feudo; Et 4. ex parte
 Vasalli, pro Jure, quod Vasallo per
 istam concessionem Domini in re
 feudali competit. Atque ita defi-
 niri potest feudum, quod sit usus-
 fructus quidam rei immobilis, seu
 æquipollentis, à Domino proprie-
 tatem tenente, alteri sub conditi-

B

one

one Fidei & Servitiorum constitutus. Dicitur 1. usufructus, eo genere quo in jure Feudali alias denotatur. 2. *F. t. 23.* Dicitur 2. rei immobilis, seu æquipollentis. Est enim de substantialibus Feudi, ut in re immobili constituatur. 2. *F. t. 1.* Sicut enim res usu non consumptibiles ad recipiendum usumfructum verum necessario requiruntur, ita ad recipiendum Dominium utile eodem objecto opus est. 2. *F. d. v. 1. § 23. in fin.* Dicitur 3. sub conditione fidei & servitiorum. Ut enim utile Dominium sub obligatione ad fidem exhibendam Vasallo constituatur, ad substantialia Feudi omnino pertinet, & pacto in contractum maximè à Feudi essentia receditur. *c. un. 2. F. t. 3. vid. Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. th. 5. § 6. n. 4.* Non obstat, quod usufructus Civilis extinguatur cum persona, Feudum verò ad hæredes transeat, & propterea illud nequeat esse usufructus.

Lon.

Longè enim alio sensu vocula Ususfructus in materia Feudorum explicanda, quatenus scilicet utile implicat Dominium, directo contra distinctum, adeoque ab Usufructu propriè ita dicto & ex legibus Romanis pensitato, prout Servitus perfonalis, summoperè discrepat. *conf. Vultej. de Feud. l. c. 2. n. 9.* Dicitur inde Feudum Ususfructus quidam, quo innuitur, hîc agi de singulari quodam utendi fruendique Jure. *Obrecht. tr. Feud. lib. 1. Schulz. Jur. Feud. c. 2. n. 12.* Idque est quod de Substantia Feudi intelligatur, non plenam proprietatem, neque nudum usumfructum, sed utile constitui Vasallo Dominium. *Dn. Struv. d. l. aph. 5. & 6.* Nec impedit quoque quod Feudum per beneficium *2. F. r. 23.* definiatur; descriptio enim potius est, quam vera definitio. De proprio tamen feudo definitio hæc intelligenda est, non de improprio & degenerante, cum omnes res

secundum insitam naturam, non juxta accidentalem formam definiendæ sint. *Hattysf. anal. Feud. c. 3. Hunn. tr. Feud. c. 5. fin.* Si præter aliam aliam malueris definitionem, nec hæc inepta, Feudum esse Jus vel Dominium utile, quod à Domino directo Vasallo sub obligatione fidei exhibendæ, in fundo seu re immobili constituitur, ut ex præcedentibus liquet.

§. III. Feudo opponitur Allodium. *2. F. t. 26. §. 2. t. 54. c. un. de Allodiis.* Apellatur autem Allodium vulgo id, quod ab omni clientela liberum ac solutum est. Rectius, in quo quis plenum habet Dominium, diciturque simpliciter proprietas, proprium. *1. F. t. 4. §. 2.* Et licet à re allodiali census vel reditus alicui debeatur, nihilominus tamen Allodii naturam retinet. *Duar. in Tr. Feud. c. 21. n. 9. & seqq.* Indeque bona censitica *Zins-Güter* / ob censum, qui in recognitio-
nem

nem Domini directi ne utiquam sol-
vitur, Allodii Essentiam non offen-
dunt; Nec ob non solutū censum bo-
na hujusmodi in commissum cadunt.
*Dn. Carpzov. 7. F. p. 2. c. 45. def. 21. Dn.
Richter. p. 2. Dec. 84. n. 2. & seqq.* In du-
bio porro quælibet res pro allodiali,
non vero feudali præsumitur, per
*text. d. c. un. §. inter filiam. 2. F. & c. un.
§. quod si inter masc. & fem. 2. F. t. 41.
vid. Hartm. Pistor. Obs. sign. 175. per tot.
nisi pro accessione Feudi fundum
vel agrum quispiam diu possederit.
aut Nobilis multa reliquerit im-
mobilia quæ pro Feudalibus regu-
lariter habentur, Dn. Berlich. p. 2.
Decis. 178. n. 4. & seqq.* Sic qui con-
tra possessorem se fundat in qualita-
te allodiali, eam probare tenetur.
Hartm. Pistor. d. Obs. n. 45. Ex qui-
bus facile intelligitur, an bona ad
castrum destinata, & multis annis
pro accessione habita, pro allodia-
libus an verò Feudalibus præsu-
mantur. *vid. Fickard. vol. 2. cons. 25.*

B 3

Item

Item, Wann Bauer-Güter zu
Lehn-Gütern gekauft worden/
ob dieselbe durch Verjährung
zu Lehn werden können. *vid.*
Moll. 4. Sem. ult. n. 6. & 7. Rand. De-
cis. ult. n. 85. Quomodo vero Feu-
dum ab Emphyteusi, à superficie,
bonis libellariis, iisque quæ Jure
precaria possidentur, item à bonis
Locatis, Laß-Gütern/ & homi-
num priorum differat, *vid.*

Dn. Struv. d. l. aph. 10. per
totum.



CAPUT IV.

DE DIVISIONIBUS
FEUDI.

SUMMARIÆ

- I. Divisio Feudi in Proprium & Improprum.
- II. Quod sit Feudum Proprium.
- III. Subdivisio Feudi Proprii, 1. In Seculare & Ecclesiasticum.
- IV. 2. In Nobile, & Ignobile.
- V. 3. In Regale, non Regale.
- VI. 4. In Antiquum, & Novum.
- VII. 5. In Ligium, & non Ligium.
- VIII. 6. In curte, & extra curtem Domini.
- XI. Quod sit Feudum Improprum.
- X. Ad Feuda Impropria referuntur
 1. Feudum Hereditarium.
 - XI. 2. Feudum Fœmixeum.
 - XII. 3. Feudum Emptum.
 - XIII. 4. Feudum Francum.
 - XIV. Feudum Censuale.
 - XV. 6. Feudum Injuratum.
 - XVI. 7. Feudum Pignoratitium.
 - XVII. 8. Feudum de Camera.
 - XVIII. 9. Feudum de Cabena.
 - XIX. 10. Feudum Soldata.
 - XX. 11. Omne Feudum quod in re mobili constituitur.

XXI.

XXI. 12. Feudum Habitationis.

XXII. 13. Feudum Guardia.

XXIII. 14. Feudum Gastaldia.

XXIV. 15. Feudum Advocatis.

§. I.

Definitionem jam excipit Divi-
sio. Et est Feudum vel Propri-
um, vel Improprum.

§. II. Proprium Feudum dicitur,
quod propriam Feudi habet natu-
ram, Ein Lehn / so eines rech-
ten Lehn-Guts Art und Eigen-
schaft hat. 2. F. t. 2. §. fin. & tot. tit.
de consu. rect. Feud. c. un. §. 4. I. F. t. I.
& t. 7. Hoc est, ut Feudum i. consi-
stat in re immobili vel æquipol-
lenti. 2. F. t. 1. §. sciendum. 2. Pro-
prietas ejus apud Dominum, Utile
verò Dominium penes Vasallum re-
sideat. 2. F. t. 23. fin. 3. Ut Feudi suc-
cessio ad masculos tantum perti-
neat. 1. F. t. I. §. 3. & t. 8. §. filia. 2. F. t. II.
Quod tamen ad Naturalia, non Sub-
stantialia Feudi spectat. Dn. Struv.
Synt.

Synt. J. F. cap. 2. apb. 6. Et 4. fidelitas Feudi nomine & servitia præstentur. 1. F. t. 21. 2. F. t. 3. fin. t. 23. 24. §. 2. & t. 28. quod posterius ratione servitiorum itidem naturalibus Feudi accensetur. Dn. Struv. d. l.

§. III. Subdivitur hoc iterum, & quidem, 1. In Seculare & Ecclesiasticum. 1. F. t. 1. §. 2. F. t. 35. Ubi prius in re seculari & prophana; posterius verò in Ecclesiastica constituitur, & Germanis vocatur, **Ein Lehn von einem frummen Stabe.** De hoc nonnulli tradunt, fœminas etiam in Feudo Ecclesiastico succedere, unde tritum illud, **Der frumme Stab schleust niemand auß /** verum nullo textu, nullaque ratione probari potest, usu imprimis plurimis in Locis reclamante. *Schulz. Syn. J. F. c. 3. n. 78. Quod si fœminæ alicubi admittantur, id ex singulari fieri consuetudine dicendum. Dn. Struv. Synt. J. F. c. 3. apb. 4.*
Utrum

Utrumque autem, an Ecclesiasticum vel Seculare sit, non ex personis, sed rerum qualitate dijudicatur. *Vult. 1.F. c. 8. n. 19.*

§. IV. 2. In Nobile & Ignobile seu Plebejum. 2. F. t. 10. Nobile censetur, quod ab eo, qui potestatem & Nobilitatem conferendi voluntatem simul habet, concessum: Ignobile, quod ab eo, qui vel potestate vel voluntate nobilitandi caret, datum est. *Vult. d. l.* A causâ ergò efficiente, potestate scilicet & voluntate concedentis, non vero ab effectu, quasi nobilitet possessorem, Nobile Feudum æstimandum. Nobilitas enim est qualitas personæ, non rei, quo nomine terra accipientem nobilitare nequit. *Hunn. sr. Feud. c. 6.* Atque inde est, quod si persona ignobilis feudum acquirat Nobile, ipsa verè non fiat nobilis, quamvis Jura rei cohærentia consequatur. *juxta Rosentb. & Dn. Struv. d. c. 3. aph. 8.* Feudum ignobile dicitur

tur

tur vulgò Burgense, Ein Gemein/
Bürger = oder Bauer = Lehn/
neque tale esse desinit licet à Nobili
possideatur. *Dn. Klock. tom. 3. Conf.*
28. n. 403.

§. V. 3. In Regale, & non Regale.
1. F. t. 14. & 2. F. t. 34. Regale Feu-
dum est, quod Summi Principis au-
toritate cum dignitate regali con-
ceditur; Et Germanicè dicitur Ein
Fahnen-oder Scepter-Lehn / in
differentiam Secularium & Ecclesi-
asticorum Principum, quorum pri-
ores cum vexillo, posteriores, Ar-
chi-Episcopi, Episcopi, Abbates,
sceptro de tali Feudo investiuntur.
Possident autem hoc Electores, Ar-
chiDuces, Marchiones, Landgravii,
Principes, Duces, Comites, Baro-
nes, *Henning. Gæden. c. 1. n. 6. 7. sub*
rubr. de aur. & argent. fodin. ut & Ci-
vitates Imperiales, & Nobiles non-
nulli ex peculiari concessione vel
præscriptione. *Sixt. de Regal. l. 1. c. 4.*
n. 75. & 97. Fœminæ verò in digni-
tate

tate Regali regulariter non succedunt, per text. in c. un. §. hoc autem. 3. de his qui Feud. dare poss. l. F. t. 1. in c. un. hoc quoq; de successione Feud. l. F. t. 8. nisi generali consuetudine, quæ juxta Dd. ad Feuda etiam Regalia extenditur, eæ ad successionem Feudi habilitentur. Bald. & Abb. in cap. significavit. arg. ill. text. de rescript. Tirag. in Tr. de primog. quest. 10. Investitus itaque de Feudo Regali omni potestate & jure, in terris ad hoc Feudum spectantibus, quo Imperator in suo utitur Imperio, gaudet, Joh. Ferrar. Mont. in Collect. Feud. lib. 1. c. 6. div. 3. Schulz. Synop. J. F. c. 3. n. 82. exceptis saltim Supremæ Majestatis reservatis. Schrad. in Comment. Feud. part. 1. cap. 3. num. 5. Non Regale est, quod autoritate Summi Principis concessum est cum dignitate, quæ Regali est inferior, Vult. c. 8. n. 10. & idem est quod Nobile, de quo supra diximus.

§. VI. 4. In Antiquum seu Paternum, & Novum. 2. F. t. 3. 11. 14. 15. & c. 32. c. qui testes sunt necessarii, Feudum Antiquum, quod Germanis Ein alt Stamm-Lehen dicitur, illud est, quod descendit ab eo, qui fuit communis Parens agnationis. c. un. §. his vero deficientibus. de Success. Fratr, 2. F. t. 11. Et promiscuè usurpantur antiquum & paternum Feudum, nec sunt diversæ species, ut alii distinguere solent. vid. Hunn. c. 6. div. 8. & Vult. c. 8. n. 5. Non autem ejusmodi Feudum Vassallo, ut Novum, in præjudicium aliorum Agnatorum, qui ex pacto & providentia adquirentis jure quaesito gaudent, concedi potest. Gail. lib. 2. Obs. 49. Nec obstat, quod Feudum Novum ut Antiquum interdum concedatur, daß ein neu Lehen/die Art/Eigenschaft/oder Natur eines Alten-Lehen an sich nimmet. Jul. Clar. §. Feudum. quest. 8. n. 2. & juxta Logico-
rum

rum doctrinam contrariorum eadem sit ratio. Regula enim illa suas quoque habet fallentias, *Gail. d. 1.* & lumen ejus ex differentia prædictorum Feudorum, quæ sequitur, clarius apparebit. Feudum Novum est, quod alicui à Domino de novo concessum, & non successione à Superioribus ad eum devolutum est, Germanicè Ein Neu-Lehen / das von neuen geliehen wird denen / die vorhin nicht Lehndüssig waren. *c. un. §. novum. qui testes sint necessarii. 2. F. t. 32. c. un. de Fratr. de novo beneficio invest. 2. F. t. 12.* Differentia autem inter prædicta Feuda conspicua est; 1. Quod in Novo Feudo de solius Domini, in Antiquo verò, etiam de Agnatorum præjudicio agatur. *Jas. cons. 136.* Quod in Veteri etiam Collaterales succedant, in Novo non item. *c. un. 1. F. t. 20. c. un. 2. F. t. 11.* Imo ne quidem in Veteri de Jure Saxonico à Collateralibus succeditur,

tur,

tur, nisi simultaneè fuerint investiti. Quæritur hinc, an Feudum per Vasallum refutatum eum in finem, ut de eo Sejus & Sempronius filii investirentur, paterni Feudi naturam retineat? *Affirm. c. un. 2. E. t. 14.* Porro quæritur, an vetus intelligatur Feudum, de quo, amisso antea ob Feloniam, ex gratia filii Vasalli sunt investiti? Respectu filiorum novum fieri arbitratur Schulzius *Syn. 7. F. c. 3. n. 68.* quod extra controversiam, si Dominus expresse novum constituat: Si vero Jure suo non utatur, sed Vasallo Feudum retinere permittat, & casu obveniente renovationem concedat, vel culpam simpliciter remittat, Feudum priorem qualitatem retinet. *arg. 2. F. t. 14. in fin. Dn. Struv. d. c. 3. apb. 2.* Illud quoque in disquisitionem vocatur, si filius, hereditate paterna abstinens, à Domino investiatur, num Feudum vetus esse desinat? **Affirmatur**; quia filius non potest haberi

haberi pro successore in Feudo paterno, nisi sit simul heres allodialis. 2. F. t. 45. *in fin.* Agnati itaque Investituræ consentientes, nec Feudi antiqui Jura expresse sibi reservantes, à successione excluduntur. *Dn. Struv. d. l.* Quæritur etiam, utrum in dubio, Feudum vetus, an vero novum, præsumatur? Affirmatur prius, si Dominus, aut alius ab ipso causam habens, non sit in possessione. *c. un. 1. F. t. 12. c. un. §. fin. de Success. frat. 2. F. t. 11. c. un. à princ. si de Feud. defunct. conten. 2. F. t. 26.* Ratio quia Feudum Novum dependet à Constitutione novâ, & à Contractu seu concessione, quæ cum sint facti, *l. consilio 7. in fin. ff. de Curat. furios. probari debent. l. adservatio. 10. C. de non numerat.*

§. VII. 5. In Ligium, & non Ligi-um. 2. F. t. 52. §. *satis bene.* & t. 99. Feudum Ligium est, in quo Vasallus fidem & operam promittit Domino contra omnes, nemine nisi so-
lo

lo DEO excepto. *d. t. Rittersh. I. Feud. c. 4. n. 10.* Dicitur à ligando suo effectu, eo quod arctius liget Vasallum quam alia Feuda. Undè vocabulum Italicum Liga, seu Fœdus. Non Ligium est, quo Vasallus non tam arctè obstrictus est Domino, sed aliis quoque ad fidelitatem præstandam obligatur, puta Imperatori, Regi, Antiquiori Domino, & cognatis. *Rittersh. d. l. Schulz. Syn. J. F. c. 3. n. 89.* Et ejusmodi feudum est, quod tenetur à recognoscentibus superiorem.

§. VIII. 6. In curte Domini, & extra curtem. *I. F. t. 5. §. præterea. vers. Item si quis. & c. un. 2. F. t. 51.* Quorum prius in territorio, posterius autem extra territorium Domini, & quod Vasallus in prædiis, quæ Dominus in territorio alieno habet, obtinet, consistit. *Bocor. de qualit. Feud. c. 4. n. 43.*

§. IX. Sequitur nunc in ordine Feudum Improprrium, quod aliquâ
 C sui

sui parte à propriâ Feudi naturâ degenerat, vel pactioibus constituentium alteratur; 2. *F. t. 48.* modo pacta non contrariantur eis, quæ Feudis indissolubili nexu adhærent, exempli gratia, si convenerit, ne Feudum ob Feloniam revocetur. Quod enim directo fieri prohibetur; id nec per indirectum fieri permittitur. *l. ult. C. si mancip. ita ven. Schulz. Syn. 7. F. c. 3. n. 10.*

§. X. Ad Feuda Improperia referuntur, 1. Feudum Hereditarium, in quo succeditur modo Civili, vel ex dispositione Juris Communis, aut quod à defuncto ultimo possessore, ad quemlibet extraneum heredem pervenit, *Hartm. Pistor. p. 2. q. 14. n. 38.* in cæteris vero Jura Feudalia omninò respicit, & sic ad masculos tantummodo devolvitur, *Dn. B. Carpzov. 7. F. p. 2. c. 47. def. 1. ubi prejud. vide.* nisi singulari consuetudine vel expresso pacto foeminae admittantur. *Dn. Struv. d. c. 4. aph.*

13. *in fin.* Opponitur itaque Feudo ex pacto & providentia, quale omne regulariter Feudum intelligitur, in quo nempe jure sanguinis succeditur illi qui Feudum primo acquisivit; quod tale etiam, si quis investitus fuerit vor sich und seine Erben oder Leibes Lehns-Erben. Hic enim vocabulum Heres ex adjecto Heredem sanguinis sive feudalem infert, secus atque sentit Dn. Carpzovius *7. F. P. 2. d. c. def. 2. vid. Gail. 2. Obs. 154. n. 18. & Dn. Struv. d. l.*

§. XI. 2. Fœmineum, Ein Weib- oder Kunkel-Lehn/ quod Fœmina primum acquisivit, & de eo investita fuit. *tot. tit. de Feud. Fœm.* Transmittitur autem masculis deficientibus ad fœminas, iisque Investitura denegari nequit. *arg. 2. F. r. 17. Hartm. Pistor. lib. 3. q. 34. n. 13.* Hodierno loquendi usu omne Fœmineum dicitur, quod ad fœminas est transitorium, sive ex consuetudine

sive ex pacto succedant. *Schulz. Syn. J. F. c. 3. n. 45.* Ex opposito itaque constare puto quod sit Feudum Masculinum, illud nempe, quod à masculino primitus acquisitum, quale omne Feudum in dubio censetur. *c. un. 1. F. t. 1.* Datur quoque Feudum mixtum, quando uxor & maritus simul sunt investiti. *c. un. 2. F. t. extr. 104. de quo vid. Dn. Struv. d. c. aph. 17.*

§. XII. 3. Feudum emptum; quod non ex mera benevolentia, & amore concedentis, uti proprium, proficiscitur, *2. F. t. 23.* sed interventu pecuniæ, cum tamen Feudum non prætextu pecuniæ, sed amore & honore Domini acquirendum sit. *1. F. t. 27.* Atque hoc ita se habet, si consideremus primævam Feudorum originem & naturam, quia tamen postea Feuda etiam pecuniâ interveniente sunt constituta, *2. F. t. 12.* Empta etiam propriis nonnulli annumeranda censent. *Dn. Struv. Synt. 7. F. c. 4.*

c. 4. aphor. 15. ubi plura vid. Quæritur, an fœminæ in tali Feudo succedere possint? *N. arg. c. un. §. hoc autem, qui Feud. dare possunt. l. f. t. i.* nisi sit nominatim de eo actum, ubi investitura, quæ emptioni præponderat, semper attendenda est. *Bald. in pref. Feud.*

§. XIII. 4. Feudum Francum, seu liberum & exemptum ab omni servitio. Germanicè, *Ein Frey Ritter-Lehen.* Cujusmodi Feuda Franca, juxta *Gemmelium, Comp. Jur. Feud. part. 2. divis. 9.* sunt Curia Nobilium in Francia Orientali. Licet autem Vasallus Feudum Francum possidens ab omnibus servitiis sit immunis, nihilominus tamen Domino ad fidelitatem servandam, & omnia alia facienda, quæ in rectis feudis reperiuntur, tenetur. *Schneid. in Epit. Feud. part. 1. n. 52.* Oritur hic quaestio, an etiam Fœminæ successione in hoc Feudo gaudeant? Dissentiunt quidem inter se *Dd. moti regula*
C? gene-

generali, c. un. §. hoc autem de his qui
 feud. dare poss. 1. F. t. 1. c. un. §. filia vero.
 de succ. Feud. 1. F. t. 8. c. un. à princ.
 de succ. Fratr. 2. F. t. 11. c. un. de Feud.
 Fœmin. 2. F. t. 30. quâ, fœminas in
 Feudis non succedere, expresse cau-
 tum est Sed eorum, qui affirmati-
 vam amplectuntur, opinio tutior
 est, per textum extraordinarium,
 2. F. t. 104. si cui milit. & regulam
 Juris, quâ dicitur, cessante ratione
 legis, ipsam quoque legem cessare.
 Ratio autem legis prohibentis, quâ
 Fœminæ à successione in Feudo po-
 tissimum excluduntur, est officium
 militare & servitium, quæ in Feudo
 Franco cessat. arg. c. un. in fin. an. m. ut.
 vel alias imperf. feud. retin. 2. F. t. 36.
 vid. Ruding. Sing. Observ. cent. 2.
 observ. 48.

§. XIV. 5. Feudum Censuale, seu
 pensionarium, quod Vasallo ita con-
 ceditur, ut loco servitiorum quot-
 annis certa præstetur pensio, ob
 quod

quod tamen in Emphyteusin non degenerat, *Dn. Struv. d. c. aph. 10.*

§. XV. 6. Feudum injuratum, 2. *F. t. 3.* quod eo pacto acquisitum est, ut sine juramento fidelitatis habeatur.

§. XVI. 7. Feudum pignoratitium, vulgo *Ein Pfand = Lehen* / quod Dominus pro certâ pecuniæ summâ, cum pacto de redimendo alicui concedit. *1. F. t. II, Frider. Mart. de jure cens. c. 1. n. 187.* Succedunt in hoc fœminæ, nec juri relucendi præscribitur. *Ruding. d. l. cens. 4. obs. 5.*

§. XVII. 8. Feudum de Camera, *Ein Cammer = Lehn* / 2. *F. t. I. §. 2.* §. I. quod alicui & Camera, seu ærario Domini, pro stipendio & sustentatione quamdiu vivit constituitur. *Matth. Steph. Exeg. Feud. concl. 25. 26.* Quæritur; cum Feudum hoc ex Dominio Principis detur, quomodo
istud

istud conservetur, & augeatur? Varia quidem secundum Statistas conservandi & augmentandi Domani media sunt, potiora tamen, & quæ bono principi conveniunt, esse videntur, legitima parsimonia, proba Oeconomia, & sobria Aulæ dispositio, & pecuniæ distributio. Verum equidem diverbium Italorum; *Le armi e denari richie dono Buonemani.* Springsfeld, in tr. de Reput. Princip. Nobilissimus Melchior ab Ossa in sua prudentia regnativa, ubi plura vide.

§. XVIII. 9. Feudum de Cavena, seu Caneva, Ein Rûchen = oder KellerLehen/ d. t. quod Dominus alicui e suâ cellâ, horreo aut penuario, ad vitam constituit, puta certam quantitatem vini, frumenti, &c. Cavena enim Longobardis idem est, quod cella, in quâ vinum, oleum, frumentum, & ejusmodi cætera Domini asservantur. *Matth. Steph.*
Domini

d. l. Finitur autem morte dantis vel accipientis, & in voluntate Domini consistit. Cujac. Feud. 1. §. item illud. tit. 1.

§. XIX. 10. Feudum Soldatæ, 2. F. t. 10. quod est præstatio quædam annua & gratuita; à Germanico Sold dictum. *Matth. Steph. d. l. concl. 29. & seqq.* Significatur autem esse Feudum de Camera vel Cavena, per *textum d. t. vers. Soldata vero dicitur, quia plerunque in solidorum donatione consistit: quandoque autem in vino & annona.*

§. XX. 11. Omne Feudum, quod in re mobili vel pecunia constituitur, ut Vasallus reditus inde percipiat, *vid. Dn. Struv d. c. 4. aph. 2.*

§. XXI. 12. Feudum habitationis, aut domum, vel arcem aliquam inhabitandi. *c. extr. de Feud. habit.* Degener Feudum dicitur, quia personale est, & ad hæredes non transit regulariter. *arg. l. si habitatio. §. ad hæredem. ff. de usu & habit.*

§. XXII.

§. XXII. 13. Feudum **Guardiæ**, quod alicui propter custodiam rei domini constituentis datur. *1. F. t. 2. & II.* Guardia enim, qua voce & Galli utuntur, à germanico **War=den**/custodiam significat, & **Guardianus** seu **Guardio** dicitur is, cui custodia talis est commissa. Et tenere pro Feudo, & tenere pro **Guardiam**, sibi invicem opponuntur. *d. t.*

§. XXIII. 14. Feudum **Gastaldia** seu **Castaldia**, *d. t.* quod datur **Castaldo** castri. **Castaldia** autem nihil aliud est quam gubernatio bonorum Domini. Hinc **Castaldus**, hodie **Castellanus**, germanicè **Ein Haubt=oder=Ambtmann**/dicitur gubernator, vice-Dominus, *Zaf. de Feud. degenerant.* & est instar **Oeconomi**, procuratoris prædiorum, vel actoris possessionum. *l. 14. C. de Sacro Sanct. Eccles.* In Gallia **Castellani** sunt castrorum præfecti & iudices.

§. XXIV. 15. Et tandem Feudum
Advo-

Advocatiæ, 2. F. t. 27. §. 5. quod est negotii alicujus publici procuratio. Dicitur etiam tutela & defensio sacerdotalis alicujus Collegii, veluti Abbatia & Monachorum, quibus prædia & vectigalia quædam attributa sunt, quorum potentem aliquem defensores ac Patronum sibi cooptabant. *Pardulph. Prat. ex Hot. Lex. Feud.* Et hæc de divisione Feudi sufficiant.



CAPUT V.

DE CAUSA EFFICIENTE FEUDI.

SUMMARI A.

- I. *Causa Efficiens Feudi est persona & concedens & accipiens illud.*
- II. *Vasallorum olim varia erant genera.*
- III. *Regula de personis Feudum concedentibus.*
- IV. *Personæ Feudum concedentes sunt vel Ecclesiasticæ, vel Seculares.*
- V. *Ecclesiastici non tantum de bonis propriis, sed etiam Ecclesiæ, Feuda concedere possunt.*
- VI. *An Fœminæ Feuda dare possint?*
- VII. *An etiam Hermaphroditæ? & an Investitura per alium fieri possit?*
- VIII. *Qui prohibeantur Feuda dare.*
- IX. *Regula de Personis Feudum accipientibus.*

§. I.

Sequitur nunc in ordine Causa Efficiens Feudi, quæ in personis tam concedentibus, quam accipientibus

tibus Feudum, consistit. 2. F. t. 23. Et ambæ quidem singulari nomine insigniuntur, quarum prior Dominus, [antiquitus Domnus, unde Itolorum Dom & Don; *Springsfeld. de Jur. Apanag. c. 3. n. 3. 5.*] plerunque dicitur, interdum Senior, voce barbarica Signor vel Segnor. *d. t. Hor. disp. c. 3.* Germanicè **Der Lehen-Herr.** Altera verò Vasallus, qui Longobardis idem est quasi **Ein Gesell.** Latinis Comes; Vasalli enim Dominum in bellum euntem comitari solebant; *Vult. 1. Feud. c. 4. n. 12.* Item Miles, Fidelis, Cliens, Beneficiarius, Feudatarius, Germanicè **Der Lehn-Mann/oder Dienst-Mann/** cuius nomine in Westphalia omnes Vasalli continentur. *Ludolph. Schrad. vol. 1. conf. 12. n. 120.*

§. II. Vasallorum verò olim varia fuisse genera, ex divisione Feudorum etiam, de quâ in præcedente capite egimus, innotescit; communi-
ter

ter autem alii fidem & hominium debebant, alii servitium, alii pacem, alii plivium, id est, ut Domino capto ab hostibus pro eo obsides darentur; alii erant lidi, alii non lidi, sive plani. *Cujac. observ. lib 8. c. 14.*

§. III. De personis Feudum concedentibus, primum tenenda est Regula; Cuius licitum esse rem suam alteri in Feudum dare, qui plenam bonorum suorum administrationem habet: Qui autem qualibet ratione aliquid de suis rebus impeditur alienare, is nec per Feudum poterit investituram facere. 2. *F. t. 3.* Quia in Feudum datio, est species quædam alienationis. *Vult. lib. 1. Feud. cap. 3. n. 3.*

§. IV. Personæ autem istæ sunt vel Ecclesiasticæ, vel Seculares seu Laici. *c. nn. 1. F. t. 1.* Et aut in gradu supremo, vel intermedio, aut infimo constitutæ. Ecclesiasticæ sunt Pontifex, Patriarchæ, ArchiEpiscopi, Episcopi,

scopi, Abbates, Abbatisſæ, Præpoſiti, Decani, Prælati, Clerici. Seculares Imperator, Reges, Duces, Marchiones, Principes, Comites; Barones, Nobiles; ignobiles; ſeu ut Feudista eos diſtinguit, Capitanei, Valvaſores, Valvaſini. *c. un. 2. F. 10.*

§. V, Perſonæ Eccleſiaſticae non tantum de bonis propriis, in quibus pari jure cum Laicis cenſentur, Feudum concedere poſſunt, ſed & de bonis Eccleſiæ, antiquitus tamen infeudari ſolitis, etiam ſine conſenſu Capituli, *c. 2. F. de Feud. l. t. 1. pr. t. 3. 9. & 25. §. Si Dominus.* niſi conſuetudine aliud fuerit receptum. *Dn. Struv. d. tr. c. 5. aph. 9.* In Imperio noſtro Romano Feudorum collatio regulariter ſoli imperatori, & Regi Romanorum ſpecialiter reſervatur: *A. B. t. 5.* Et ſic Vicariis Imperii non conceditur; unde tamen inferre ne utiquam licet, Jus cognoſcendi vel Judicandi de litibus quæ circa Feuda Regalia moventur, iis quoq; **ademptum**

ademptum. *vid. Generos. Dn. Georg. Theod. à Rondeck in not. ad d. c. 5.* De Feudis verò quæ Imperio aperiuntur, Capitulationibus Caroli V. & sequentium Imperatorum expresse provisum ne aliis iterum conferantur, sed in usum Imperii serventur. *vid. Linnaeus ad Capit. Carol. V. a. 24. conf. Noviss. Capit. Gloriosissimi Imperatoris Leopoldi. a. 30.* Secus est quoad Feuda Electoratum, quæ Imperio aperta necessariò rursus cuidam concedenda, ne numerus Electorum minuatur. *Dn. Carpzov. de Leg. Reg. Germanor. c. 7. Sect. 4. n. 27. Dn. Struv. d. c. 5. aph. 6.* An verò Imperator, vel etiam Princeps, in suo territorio bona subditis invitis pro lubitu auferre, & alteri in Feudum concedere possit, nemo forsàn è pietatis censura verum dixerit, cum nec absoluta Humana Majestas Numinis æterni sancita & dictamina Juris Naturalis transvolare, aut Jus alteri quæsitum sine crimine eruere prævaleat; in
 Prin-

Principe quoque legitimo vix dari
 possit plenitudo potestatis, quæ
 quicquam ab ordinaria potestate di-
 stet, ni Tyrannidem asserere malue-
 ris, ut post Ferdinandum Vasque-
 um, *p. 1. lib. 1. Controv. Illustr. c. 5. n. 5.*
 & Molinam, *de Just. & Jure, Tr. 2.*
disp. 174. optimè profert Dn. Struvi-
 us; *d. c. 5. aph. 6.* Patet inde quid
 sentiendum sit de illâ opinione,
 quam non nemo Luci publicæ ob-
 trudere conatus, quod quemadmo-
 dum Princeps ob bonum publicum,
 Domino etiam invito servum eripe-
 re & libertate decorare, ita etiam
 prædium alicujus privati militi ve-
 terano ob bonum publicum promo-
 vendum donare possit; Currit sci-
 licet consequentia à baculo ad an-
 gulum, si ob singulariter servorum
 merita in summum libertatis adipi-
 scendæ favorem latas leges 1. 2. 3. & 4.
C. pro quibus causis servi. ad liberam
 prædiorum subditis priorum
 ereptionem absurdè colligere vel-
 les.

P

les,

les ; An verò tantam putas subestimationem , quam militi veterano, subditi cum damno peculii vel proprietatis, ad libitum Superioris debeant, quomodo Achabi videtur postulatum de vineâ Nabothi, compensatione tamen oblata ? Id extra cædem Dominio eminenti pulcherrimus sibi quidem tribuit Hornius in *Archi. Civit. lib. 2. c. 4.* Sed ex ore Spiritus Sancti damnabile factum. Et si militi Sagato veterano obviam hæc, quid de togato, de Republicâ benè merito diceres ; sic certè bona Subditorum, donaria aliorum facillimè efficerentur, proprietario exule. Caveat itaque qui theoriam hanc profitetur, praxin, justo doctrinæ experimento amaro fructu subeat infelicissimè. Nullam hic fingere licet summam vel extremam Reipublicæ necessitatem, quam in milite veterano donis mactando sensu concipere liceat, commodum, quod in benè merito si largius com-
pen-

pensetur, Reipublicæ forsan succrescere posset, non infert extremum & inevitabilem Necessitatis casum; Non itaque diripiendum est aliorum peculium, nec sic feuda militi temerè constituenda sunt, Hornio aliisque nequicquam refragantibus.

§. VI. De maribus porro quod Feuda dare possint, nulla ducitur ferra, de fœminis tamen quæritur, num & illis Feudum dare permisum sit? Quod communiter affirmatur, per textum expressum in *S. Fœminam. 2. F. 1. 3.* Fallit tamen si alienare prohibeantur. *Schulz. Syn. Feud. c. 4. n. 25.* Unde etiam Jure Saxonico, sine consensu Curatorum Feuda dare non possunt, *Schulz. d. l.* nisi forsitan sint Illustres. *Hering. rr. de fidei. c. 7. n. 517.*

§. VII. De Hermaphroditis, quod Feuda concedere possint, idem est judicium. *d. r.* Utrum verò quis

vel ipse, vel per alium, pro re Investituram faciat vel suscipiat, nihil interest, potest enim hoc negotium & per Procuratorem & Administratorem speciale Mandatum habentem, ab utraque parte expediri. *2. F. t. 3. §. 1. Et. 58. vers. item Invest. Wesenb. tr. Feud. c. 4. fin.*

§. VIII. Prohibentur autem Feuda dare, i. ob defectum & infirmitatem consensus, Furiosi, Mente capti, Prodigii, Pupilli ac Minores, *arg. c. un. 2. F. t. 3.* Surdi, Muti, nisi mentem suam per signa vel literas exprimere, & alios quid velint satis intelligere possint. *arg. l. 10. C. qui test. fac. poss. Dn. Struv. d. c. aph 4. 2.* Filii familias in Fundis adventitiis minus plenis, in quibus Patri ususfructus competit, & dispositio filii circa proprietatem ad Patris consensum est restricta; *l. ult. §. 5. C. de bonis quælibet. Dn. Struv. d. l. Secus est in bonis Castrensibus & adventitiis plenis. Dn. Carpzov. disp. Feud. 3. th. 9.*

3, Qui

3. Qui Dominio carent, Curatores, Tutores, nisi accedat Decretum Magistratus. *arg. tot. t. ff. de rebus eorum qui sub tut. Et t. de pred. Et aliis reb. immob. sine Decret. non alien.* Aliud est in renovatione Investituræ de Veteri Feudo. 2. F. t. 3. pr.

§. IX. De personis Feudum accipientibus, regula quoque ex textu 2. F. t. 3. §. personam. Et t. 26. §. si minori. generalis hæc est: Quemlibet Feudum accipere, vel de illo investiri posse, qui non reperitur prohibitus, ita ut omnibus, cujuscunque sint, vel sexus, ætatis, status vel ordinis & qualitatis, Feuda accipere permissum sit, *text. gen. 2. F. t. 3. vers. personam vero.* Fallit tamen in publico crimine damnatis, infamibus, & turpibus personis, quæ odio potius, quam beneficio dignæ, & in curia stare non possunt, ac ea propter à regulâ istâ generali excipiuntur. *Vult. in 1. Feud. lib. cap. 4. n. 12. Hunn. cap. 8. quæst. quinam Feud. accipere queant.*

CAPUT. VI.

CAPUT VI.
DE MATERIA
FEUDI.

SUMMARIUM.

- I. Materia Feudi consistit in rebus immobilibus.
- II. Et illa sunt vel Soli;
- III. Vel Solo coherentes;
- IV. Vel quae immobilibus annumerantur.
- V. An res incorporales immobilibus annumerentur?
- VI. Re immobili in Feudum data, jura etiam concessa intelliguntur.
- VII. Res quae alienari prohibentur in Feudum dari nequeunt.

§. I. Materia Feudi quam ordo tangit, in rebus immobilibus consistit, quae sunt vel Soli, vel Solo coherentes, vel illae, quae inter immobilia connumerantur. Obert. 2. F. r. I. §. sciendum.

§. II. Res Soli, quae vulgo unbewegliche Güter dicuntur, sunt quae

quæ in eodem loco consistunt, nec loco moventur. v.g. Prædia, Fundus, Castrum, Oppidum. arg. d. t.

§. III. Res vero Solo cohærentes sunt, quæ Solo junctæ, infixæque, & quasi pars Soli sunt, quæ non separari, vel saltim non utiliter possunt; veluti ædificia, arbores, sylvæ, molendina, mancipium rusticum. &c. l. jubemus. 14. C. de S. S. Eccl. Nov. 7. §. nulli. l. 3. ff. de divers. temp. prescript. l. 1. §. hoc interdum. 3. ff. de vi & vi armat. l. quia 10. ff. quod vi aut clam. l. cum fundus. 21. ff. de instruct. & instrum. leg. fac. text. in l. granaria. 18. ff. de action. empt. & in l. Titius. 60. ff. de acq. rer. dom.

§. IV. Res denique, quæ immobili-
libus annumerantur sunt, jura, vecti-
galia, quæ inter Regalia etiam com-
putantur, 2. F. t. 56. annui redditus,
Jährliche Renthen und Zins.
text. in clem. exivi. §. cumque annui
reditus.

reditus. de verbor. signif. Schneid. Instit. de interd. uti possid. n. 7. Gail. lib. 2. Obs. 10. n. 1. Quæ omnia territorium, uti mobilia personam, respiciunt. Bald. in l. mercatores. n. 1. C. de commerc. & mercat. Geil. d. l. Obs. 124. n. 18.

§. V. Quæritur hîc, an res incorporales, quæ dividi non possunt, l. 2. & harum, & l. stipulationes. 72. de verborum obligat. immobilibus annumerentur? N. Res incorporales enim neque ad numerum mobilium vel immobilium aggregantur. l. à Divo pio 15. §. in vendit. ubi Gason. de re judicat. l. quam Tuberonis. 7. ubi Bart. ff. de pecul. nisi per interpretationem; quo casu plerumque pro immobilibus habentur. l. jubemus. 14. ubi Dd. C. de S. S. Eccles. Vvesemb. in parat. ff. de rer. divis. n. 4.

§. VI. Re immobili in Feudum datâ, etiam jura concessa intelliguntur; arg. l. 47. 67. 78. ff. de contrah. Empt. Item pertinentiæ; arg. l. Julianus

lianus. 13. §. 31. l. 38. §. ult. de act. Empt. Nec non quæ perpetui usus causa in fundo sunt, nisi speciatim excipiantur. *arg. l. fundi. 17. §. Labeo. 7. ff. eodem.*

§. VII. Dantur autem res enume-
ratae demum in Feudum, si non pro-
hibeantur alienari. *2. F. t. 3. §. 1. vid. supr. c. V. §. 2.* Unde res extra com-
mercium positæ, Ecclesiasticæ, antea
infeudari insolitæ, Minorum, & quæ
vel lege, vel statuto vel Testamento
prohibentur, in Feudum dari neque-
unt. *Broch. tract. Feud. c. 6.* Quæritur
si quis sciens se de re alienâ infeuda-
ri sinit, an de Evictione agere possit?
N. nisi pacto speciali sibi prospexerit;
2. F. t. 8. Dn. Struv Syntagm. 7. F. cap. 6. aph. 9. Sin verò ignoraverit rem esse
alienam, tunc rectè agit, ut aliud e-
jusdem bonitatis seu quantitatis ipsi
præstetur. *2. F. d. t. §. t. 25.* An res
mobiles quoque in Feudum dari
possint porro quæstionis est? N. nisi
per consequentiam & accessoriè,
quate-

quatenus nimirum immobilibus natura cohærent. Rationem pete, 2. F. r. 23. ubi dicitur Feudum perpetuum esse, ejusque usumfructum ad Vasallum, proprietatem verò ad Dominum pertinere, quod de mobilibus dici non potest, quæ nimirum utendo consumuntur, iisque traditis dominium transfertur, neque naturali, neque civili ratione Usumfructum recipiunt. *Inst. Usufr. §. constituitur.* Quæ verò appellatione mobilium veniunt, *vid. Hartt. Pistor. Quest. Civ. 26. n. 1. & 2.*



CAPUT VII.

DE MODIS CON-
STITUENDI ET AC-
QUIRENDI FEU-
DUM.

SUMMARIUM.

- I. Modi constituendi & acquirendi Feudum inter se differunt.
- II. Modus constituendi Feudum est conventio quedam inter duos.
- III. Acquirendi Feudum modi communiter tres sunt, Investitura, Prescriptio & Successio.
- IV. Investitura derivatio.
- V. Definitio Investiturae.
- VI. Divisio Investiturae in Propriam & Impro-
priam.
- VII. Quid sit Investitura Propria.
- VIII. Quid Impropria.
- IX. Et utraque est vel Feudi Nobili vel Ve-
teris.
- X. Forma Investiturae Feudi Nobili qua. &
XI. XII.
- XIII. Veteris Feudi Investitura quando pe-
sanda.
- XIV. Et

- XIV. Et quo tempore.
 XV. Differentia Formæ Essentialis Investituræ
 & Feudi Veteris & Novi.
 XVI. Divisio Investituræ in simultaneam &
 non simultaneam.
 XVII. Definitio Simultaneæ Investituræ.
 XVIII. Requisitæ Formæ Investituræ ejusdem.
 XIX. Finis Investituræ Simultaneæ quæ.
 XX. Effectus Investituræ Simultaneæ varii.
 XIX. Quomodo Investituræ Simultaneæ ex-
 tinguatur.
 XXII. Præscriptionis requisitæ.
 XXIII. Successio Feudalis quæ.
 XXIV. Et 1. quidem ratione Descenden-
 tium.
 XXV. 2. Ratione Collateralium & Patrum
 Descendentium.
 XXVI. Qui à Successione Feudali exclu-
 duntur.

§. I.

Modi constituendi & acquirendi
 Feudum, ad Causam Efficien-
 tem, de quò capite præcedente V.
 diximus, propriè spectant. Non-
 nulli hos pro uno eodemque qui-
 dem habent, sed confundunt. Ma-
 ximè enim inter se differunt; arg. §. I.
 Instit. de Usufr. & §. 4. ibid. de Servit.
 Ubi

Ubi Servitutes, & Ususfructus pactis & stipulationibus constituuntur, non verò acquiruntur. *confer. l. 3. ff. de Oblig. & Action.* Et constitutio acquisitione semper prior est, licet interdum possint esse simul naturâ. *Vult. l. F. c. 7. pr.*

§. II. Modus constituendi ergò Feudum est conventio inter duos, quâ unus concedens, alteri, recipienti, rei immobilis usumfructum in perpetuum concedit, & is pro hoc Fidelitatem & Servitia ipsi præstat. *Hunn. Tract. Feud. c. 10. de caus. quibus Feud. constit.*

§. III. Acquirendi Feudum modi communiter tres à Dd. constituuntur: Investitura, Præscriptio, & Successio. *Duar. comment. Feud. cap. 7. pr. Borch. de Feud. c. 7. Bocer. Class. 4. disp. 14. th. 6.* Cum tamen accuratius loquendo, unicus saltim videatur esse modus, nempe Investitura. *c. un. l. F. t. 25. quibus modis Feud. constit. pot.*

Quo-

Quocunque enim modo Feudum quis quæſiverit, ſemper investitura requiritur, ita, ut in ſucceſſione ſubſequi debeat, & in præſcriptione interveniſſe præſumatur, & pro Investitura habeatur. *Rittersh. 1. F. c. 8. n. 1.* Sed de ſingulis ordine agemus.

§. IV. Investitura itaque, ſeu Investitio; *1. F. t. 26. 28.* derivatur ab investimento, qua dictione etiam Livius lib. 4. utitur, & investire nihil aliud eſt, quam poſſeſſionem alicujus rei alicui tradere & contra deſtiture poſſeſſionem eidem adimere. *1. F. t. 7.* Hinc vocabula Franco-Gallica Vest, Deſt, & Germanica, Beſten & Beveſten/ idem ſonant quod confirmare & ſtabilire. Sumitur aliquando pro literis Investituræ, *c. un. 2. F. t. 2.* aliquando pro ipſo investiendi actu, *c. un. 1. F. t. 25.*
 Oder die Belehnung/und Lehns-
 Empfängniß.

§. 5. De

§. V. Definitur, quod sit actus solennis, quo alicui Feudum conferatur. *Vult. 1. Feud. c. 7. n. 5.*

§. VI. Dividitur, & quidem primo, in propriam seu naturalem, & impropriam seu abusivam. 2. *F. t. 2. pr.*

§. VII. Propria Investitura est, quâ Vasallus in rei Feudalis possessionem inducitur, adeoque corporaliter & realiter res Feudalis ipsi traditur. *d. t. Oder das Erwürcklich und Leiblich beliehen wird.*

§. VIII. Improperia autem est actus, quo Dominus signo quodam adhibito Jus Feudi alicui concedit. *vid. Dn. Struv. Synt. Jur. Feud. c. 8. aph. 5.* Et licet per hanc possessio Feudi non accipiatur, interesse tamen præstando Dominus non liberatur, sed Vasallum in possessionem mittere cogitur. 2. *F. t. 26. §. Si facta.*
Quin

Quin & juxta veriore[m] Feudistarum
sententiam, ita investitus, propria
autoritate possessionem ingredi po-
test. *Lehn-Recht. c. 57. Borch. de*
Feud. c. 7. rubr. de Invest. n. 10. Schulz.
c. 9. n. 11. modo nemo alius possideat,
& Dominus non resistat. vid. Struv.
d. c. aph. 10.

§. IX. Utraque hæc Investitura i-
terum duplex, nova & vetus, illa,
quando primum à Vasallo Feudum
acquiritur. 2. F. t. 3. §. 32.

§. X. Est autem Forma investituræ
Novæ, alia Essentialis, alia Acci-
dentalis.

§. XI. Illa consistit vel in verbali
Feudi concessione; v. g. Ego te de
hoc prædio investio. *c. un. 2. F. t. 2.*
vel solenni testatione, quæ alterna-
tivè, aut Testibus, aut Instrumento
fieri potest. Quoad Testes, qui ad
minimum duo sunt, requiritur,
1. ut sint homines liberi, *c. un. 2. F.*
t. 58. 2. ut sint masculi, 2. F. t. 32.

stituræ , tam Novæ quam Veteris, Instrumentum fieri soleat, & sufficiat Subscriptio & Sigillatio Domini Feudi. *Vult. i. Feud. c. 7. n. 42. Schul. 3 d. l. n. 26.* Variæ autem clausulæ Instrumento isto inseri solent; & vel ratione Domini; ut Investitura fiat, juribus Domini seu Curiaë ejus, semper salvis: Item ut fiat, natura Feudi in aliquo non mutata. Vel ratione Vasalli; quando in Investitura exprimitur, ipsi & suis hæredibus vel filiis ex pacto esse concessum Feudum, ut ab uno ad alterum revertatur; nec non ipsum de eo investiri, tam ob bene merita, Domino ab ipso, & ejus hæredibus, præstita, quam in posterum præstanda. Vel ratione tertii alicujus; scilicet ut Investitura fiat salvo Jure tertii. Quæ omnes & singulæ, singulas suas habent virtutes, de quibus Schraderus. *p. 5. c. 2. n. 47. & seqq.* Ad dunt nonnulli hiscè duabus Investituræ solennitatibus Juramentum fidelitatis

fidelitatis, Die Lehens = Pflicht/
 quod tamen ab aliis pro consequen-
 ti Investituræ necessario habetur.
c. un. 2. F. t. 4. de quo infra plura,
 Item Pacta, quæ omnino servari de-
 bent, 2. *F. t. 2. §. 3.* nisi aut substantæ
 Feudi, aut bonis moribus contrari-
 entur. *arg. l. 185. ff. de reg. jur. l. 27.*
§. 4. de pact.

§. XII. Hæc verò, Accidentalıs,
 vel purè, vel impurè, id est sub die
 & conditione fieri potest. *c. un. 2. F.*
e. 2. Ubi quæritur; 1. An valeat In-
 vestitura de Feudo Vasalli adhuc vi-
 ventis, sub conditione mortis ejus,
 vel si Feudum ad Dominum referta-
 tur, facta, quod communiter dicitur
Ein Gnaden-Lehn/ Expectans Or-
der Anwartsung/? *A. 1. F. t. 3. & 9.*
 In tantum, ut ne quidem consensu
 Vasalli opus sit; *c. un. 2. F. t. 26. §. 2.*
 Et Investitura fieri possit, etiamsi Va-
 fallus legitimos habeat liberos &
 Successores. *d. d. text. & c. un. 2. F. t. 39.*

Confer Dn. Struvium *Synt. Jur. Feud.*
c. 7. aph. 5. & seq. ubi & de conditi-
 one, sub quâ expectativa concedi-
 tur, vel respectu Feudi certi & no-
 minati, Ein benannt Beding/
 vel incerti, quod inter plura pri-
 mum aperitur, an ein Irr. Lehn
 oder ungewiß Beding/ vide.
 2. Quæritur: An Successor hoc mo-
 do Investituram præstare teneatur?
 Distinguimus inter Dominum Ec-
 clesiasticum & Secularem. Illius
 Successor non tenetur, nisi consenti-
 ente Capitulo. *c. un. 1. F. t. 3. & c. un.*
2. F. t. 26. Hujus vero obligatur, si
 succedat Jure Hereditario, *arg. l. 14.*
C. de R. V. quod in filio quoque pa-
 tri succedente in Feudo pactionato,
 quia simul ipsi heres, obtinet. *2. F. t.*
51. §. Filius. Sin verò Jure proprio
 succedat, nec causam ab antecessore
 sortiatur, secus est. *Modest. Pistor.*
p. 2. q. 159. & vol. 2. cons. 40. Exce-
 ptio est in obligatione proregiminis
 necess.

necessitate utilitate & incremento
 contractâ. *Reinking. de R. S. & E. 1.*
Class. 3. c. 10. n. 42. Inde si ob sum-
 mē in Rempublicam merita alicui
 expectantia in Feudum concedatur,
 nec successoribus id displicere pote-
 rit. *Hering. de Fidej. c. 27. p. 5. n. 110.*
& seqq. Schrad. p. 3. c. 2. n. 38. Confer
 de hâc materiâ *Dn. Tabor de Obl. Suc-*
cess. in offic. c. 5. n. 21. & seqq. Dn. Hahn.
ad Vestit. de Const. Princ. n. 2.

§. XIII. Vetus Investitura in per-
 sona Successoris renovatur, 2. *F. t. 33.*
 semperque petenda vel Domini vel
 Vasalli persona mutata, mortuo al-
 terutro vel utroque: 1. *F. t. 22.* 2. *F.*
t. 24. & 40. usque adeo, ut si negli-
 gatur, tempore legitimo elapso, in
 commissum cadat Feudum, nisi Va-
 fallus probaverit, quod non dolosē
 per memoratum tempus steterit,
 quo minus â Domino sui beneficii
 Investituram peteret, 2. *F. t. 52. in fin.*
 sed justâ impeditus fuerit causa &
 obsta-

obstaculis. *vid. Gotof. disp. Feud. 8. th. 4. & 5.*

§. XIV. Tempus vero istud jure stricto est annus & dies. *d. d. text.* Peregrino annus & mensis, *1. F. t. 22.* quamvis alii de militibus dictum textum interpretentur, Saxonico annus & sex hebdomadae. *Lehn-Recht. c. 25.* Utroque autem Jure tempus legitimum currere incipit à die scientiæ, *d. d. text.* nec mutari potest à Domino, quamvis quondam secus fuerit, *Lehn-Recht. c. 22.* quo minui poterat. *Schulz. Synop. Feud. c. 9. n. 68.*

§. XV. Quoad Veteris Investituræ Formam Essentialem differentia est inter hanc & Novam, quod Vetus hæc etiam coram extraneis testibus fieri possit. *c. un. 2. F. t. 32.* Inter Accidentalem verò nihil est discriminis, etiam quoad Juramentum Fidelitatis, *l. 2. F. t. 3.* etiamsi Vasallus defunctus fidelitatem jurârit pro se &

se & hæredibus; c. 14. X. de Jurej. Sed quod si unius Feudi plures sint confortes, omnes & singuli renovationem petere debent, sive pro diviso sive in diviso illud possideant, 2. F. t. 26. §. omnes filii. Et. 55. §. firmiter. aut aliquem è numero suo ablegare, qui communi omnium nomine, secundum inveteratam Germaniæ consuetudinem, renovationem Investituræ petat & accipiat, qui vulgò **Der-Lehnträger** vocatur, & plerumque Fratrum aut Agnatorum natu maximus est. *Rittersh. 1. Feud. c. 9. 25. Wesenb. c. 8. n. 9.* Per Procuratorem quoque speciale mandatum habentem, qui in animam Vassalli jurat, negotium hoc expediri posse, supra Capite V. §. 7. diximus.

§. XVI. Distribuitur Investitura denique in Simultaneam, 1. F. t. 14. §. si duo Fratres. 2. F. t. 18. pr. & non Simultaneam. Vulgo vocatur Jus
con-

conjunctæ manus, die gesambte
Hand/oder mitbelehrnung.

§. XVII. Et definitur, quod sit actus, quo Dominus Feudi cum consensu possessoris Feudi, unum vel plures volentes atque scientes de Feudo investit, ita ut possessore sine masculino hærede decedente, simultaneè investiti succedant in Feudo. *Joh. Fichard, vol. 2. cons. 8. n. 12. fin.*

§. XVIII. Quatuor autem ad Formam hujus Investituræ potissimum requiruntur; 1. Ut possessor Feudi consentiat. *Hart. Pistor. quest. F. 20. n. 1.* 2. Ut ultra consensum possessoris etiam simul Investiti adsit voluntas & scientia. *Idem ibidem. n. 38.* 3. Ut hæc Investitura secundum specialem cujusvis Loci ritum fiat. *Card. Paris. cons. 13. n. 53. part. 1.* 4. Ut denique fiat simultaneè, hoc est, ut fiat verbis quæ ex iis constat, veluti dicatur: hos simul investitos esse

esse debere, & ut nos loquimur;
 Das einem die gesampte Hand
 geliehen / oder daß einer mit
 dem andern sämbtlich belehnet
 sey.

§. XIX. Finis verò hujus Investi-
 turæ est, ut omnes simul Feudum ha-
 beant, & sibi invicem succedant.
 Nec attenditur hîc Agnatio, ut Col-
 laterales in Feudo sibi invicem suc-
 cedant, sed saltim simultanea Inve-
 stitura. *Schneid. in Epit. Feud. p. 5. n. 21.*
 Quamvis ea per se non tribuat jus
 succedendi, sed ita demum, si hoc
 vigore pacti specialis sit expressum.
*I. F. t. 1. §. sin autem, § t. 14. §. Si duo
 Fratres. c. un. 2. F. t. 18.* Inde tra-
 dunt quidam Cautelam, quod plu-
 res Fratres facientes se simultaneè
 investiri post mortem patris, petant
 à Domino ut apponatur in Literis
 Investituræ hæc clausula: Wir be-
 lehen Sie hiermit sämbtlich /
 und ob Sie sich theilen würden /
 soll

soll hiermit ein ieder sein Leben empfangen haben / und Sie sämptlich hiermit belehnet seyn. Schneid. d. l. n. 20. & ibi Hackelm.

§. XX. Effectus Investituræ simultaneæ varii sunt; Primus est obligatio reciproca, & communio quædam ad Jus succedendi attinens. Alter, ut Jus istud ex simultanea Investitura quæsitum, non solum personam Investiti respiciat, sed etiam utrinque ad descendentes tam ejus, qui investituram impetravit, quàm alterius, cum quo alter investitus est, transmittatur. Tertius est actio revocatoria, quâ Feudum à Possessore alienatum, investiti à tertio possessore revocare possunt; exemplo ejus actionis, quæ Jure communi successoribus est concessa. *c. un. §. Titius. 2. F. t. 26. & t. 39. Hart. Pistor. Q. F. 20. n. 2. 7. & 25.*

§. XXI. Extinguitur denique Jus simultaneæ Investituræ; 1. Quando
illud

illud non renovatur. Cum enim hoc casu Jus commune non reperiat^r consuetudine correctum, merito in hac Investitura servatur. *Hier. Schurff. cent. 1. cons. 16.* Quando verò post mortem patris filii simultaneè à Domino investiuntur, & simul manent in possessione Feudi, seynd sãmbtlich belehnet / und haben das Guth in gleicher Gewehr / & postea unus ex Fratibus decedit sine liberis masculis, tunc frater superstes non de novo impetrat Investituram; Darff anderweit die Güter nicht empfaben / sondern behãlt Sie ganz allein / und das ist die Statut und Eigenschaft der sãmbtlichen Belehning. *juxta Schneid. in Epit. Feud. part. 5. n. 53.* Secus est 2. si plures unum & idem Feudum possidentes, bona inter se dividant, jus succedendi hac divisione amittunt. Jus enim hoc à communione dependet.

proin.

proinde necessarium erit, ut facta
 divisione de novo per simultaneam
 Investituram acquiratur. *Pistor. d. l.*
n. 33. Quam Dominus requisitus o-
 mnino concedere tenetur. *Scharff.*
cent. 2. cons. 48.

§. XXII. Sequitur nunc Præscri-
 ptio, quæ pro Investitura habetur;
2. F. t. 33. Et sicuti per eam Feudum
 amittitur, ita & istud acquiritur, eo
 usque, ut alia Investitura non opus
 sit, & Feudum eo modo quæsitum,
 veram Feudiretineat naturam. *Wes-*
senb. de Feud. c. 6. n. 3. Duar. comment.
Feud. c. 8. fin. Requiritur autem ad
 hanc præscriptionem, 1. continua
 possessio, sine possessione enim non
 contingit nec procedit. *arg. l. 25. ff.*
de Usucap. 2. Ut fuerit possessa ti-
 tulo Feudi & animo Vasalli; Nam
 si quis alio titulo, puta pignoris,
 fundum possederit, Jus Feudi in eo
 præscribere nequit. *1. F. t. 27.* 3. Per
 triginta annorum spatium continu-
 um,

um. 2. F. t. 26. §. si quis per triginta
 ita ut si unus desit dies, præscriptio
 pro completa non præsumatur. arg.
 l. 26. §. quoties ff. ex quibus causis ma-
 jores. 4. Ut possessor à Domino re-
 quisitus servitium ei tanquam Seni-
 ori exhibuerit. Ubi Dd. communi-
 ter tradunt satis esse, si vel semel in-
 tra triginta annos Servitium Vasalli-
 ticum præstitum fuerit, cum textus
 allegatus, §. si quis. Servitium, non
 Servitia requirat. Borch. c. 7. n. 7. de
 prescript. Zasius part. 6. Myns. cent.
 4. observ. 29. Concurrentibus i-
 taque his requisitis, præscriptio
 vera est, & hunc habet effectum, ut,
 quasi Investitura intervenisset, Va-
 fallus se tueri possit. d. §. si quis.
 Rittersh. 1. F. c. 18. n. 3. 4. Notan-
 dum tamen venit, Feuda Ecclesiæ
 & Reipublicæ non nisi 40. annis;
 Regalia vero immemoriali tempo-
 re, præscribi. Vult. 1. F. c. 9. n. 21.
 sublata. l. 13. C. de Sacro Sanctis Ecclesiis
 & N. 9. Et quod Vasallus Domini-
 um

um directum seu proprietatem Feudum præscribere nequeat: Rem enim Feudalem non animo sibi habendi, sed Domino suo, & hujus nomine tenet. Jam quod quis non suo nomine possidet, nunquam præscribit. *Vult. d. l. n. 18.* Et sic mala fides etiam, quam Vasallus habet, præscriptionem impetit. *Rittersh. d. l.* Quæritur an is, qui Feudum alienatum à Vasallo per triginta annos possedit, se præscriptione contra Dominum revocantem tueri possit? *A. 2. F. t. 9. §. porro. 1. F. t. 28. in fin. nec obstant textus, in c. imperialem. 2. F. t. 55. in verb. nulla temporis præscriptione impediante. & t. 40. & 83. qui de longi temporis præscriptione intelligendi sunt, Cujac. Feud. 4. t. 49.*

§. XXIII. De successione jam reliquum est ut videamus. Ubi notandum quod de Jure Civili duplex detur succedendi ratio, una testamentaria

mentaria, altera legitima. De prima Jus Feudale non est sollicitum, cum nemo de Feudis utiliter testari possit in præjudicium Domini & Agnatorum, 1. F. t. 8. nisi Feudum vel absolutè sit hæreditarium, vel Testamentum consensu Domini & Successorum Legitimorum sit ordinatum. *Bocer. th. 34. disp. 15.* Alteram quod attinet, Jus Civile tres ejusdem constituit lineas, unam ascendentium, alteram descendentium, & tertiam collateralium. Primam illarum Feudista quoque non curat; Ascendentes enim de Jure Feudali non succedunt, 2. F. t. 50. in lineâ scilicet recta, in transversali enim eos succedere posse tradit *Borcholt. n. 85. c. 7. per text. 1. F. t. 19. fin. & si in Investiturâ id expressum sit. Duar. c. 11. n. 11. per text. 2. F. t. 48.*

§. XXIV. Secunda igitur linea liberorum est, quorum nomine hîc soli filii, & nepotes intelliguntur,
filiabus

filiabus & nepotibus neptibusvè ex filia natis exclusis. 2. F. t. II. t. 34. §. 2. *ibi de solis masculis. & t. 50. pr.* Ratio à fine Feudorum desumpta esse videtur, ad quem servitia bellica, ad quæ fœminæ inidoneæ sunt, spectant. Ut taceam fragilia earum consilia, quibus adversus propria commoda plerumque laborant, l. 4. C. de Spons. & sæpè in perniciem substantiæ earum deducuntur. §. 1. *Instit. quibus alien. licet vel non.* Succedunt autem filii in Feudo æqualiter, 1. F. t. I. §. *Et quia vidimus.* etiam ex diversis matrimoniis nati, modi sint consanguinei. *Rittersh. 1. F. c. 15. n. 8.* Fallit tamen in Feudo individuo dignitatem annexam habente, ubi solus succedit primogenitus, *Dd. in §. præterea. 2. F. t. 55. A. B. c. 24.* nisi de consuetudine Regionis aliter sit dispositum. *Gail. 2. Obs. 153 n. 2.* Inter liberos numerantur quoque legitimati per subsequens matrimonium, qui & in Feudis

dis

dis ex veritate practica succedunt. *Dd. in §. naturales. si de Feud. cont. sit inter Dom. & Agnat. & pro his in Camera Imperiali iudicatum esse testantur, Myns. cent. 5. obs. 42. & alii Feudista passim.* Legitimati verò per Rescriptum Principis Jus in Successione quæsitum nemini auferre possunt. *Carpzov. de F. p. 2. c. 6. n. 27.* Quæritur; an exhæredati liberi in Feudo succedant? A. Nulla enim, uti supra docuimus, circa Feudum defuncti ordinatio valet, *d. t. 1. F. 8.* nisi in Dominum deliquerint, & ejusmodi sit exhæredationis causa. *Vvesemb. c. 6. n. 9.* Quæritur; si liberi existant gradu inæquali, quomodo succedatur? Resp. inæqualiter, & hi qui jure repræsentationis veniunt, tantum partem patris sui accipiunt. *d. t. pr.*

§. XXV. Si secundæ lineæ nulli sint successores, jus succedendi ad Collaterales, si Feudum sit Paternum,

F

num,


num , devolvitur; 2. F. t. II. §. his vero. & t. 50. Ubi tamen vocantur Agnati, remotis cognatis, propter favorem conservandarum familiarum, quas Dominus eligit. Borch. n. 78. c. 7. Ex his igitur Masculi, si quidam primi gradus sint, & soli extent, juxta morem Juris Civilis, Feudum inter se æqualiter dividunt; d. t. 2. F. II. Si vero soli non sint, sed ipsis cum aliis concurrere necessum sit, puta vel fratribus consanguineis, vel fratrum filiis, successio priori casu fit secundum capita, arg. Carolina, Anno 1529. Spira promulgata. Gail. 2. Obs. 151. posteriori verò secundum stirpes. 2. F. d. t. §. si vero. & ibi Dd. Quæritur; Si fratres prædicti deficient, qui in ordine de Jure succedant? R. Agnati omnes, & quidem qui gradu sunt proximiores, secundum capita in infinitum, exclusis semper remotioribus. 2. F. t. II & 31. Ubi tamen notandum, quod in eâ proximitate semper prærogativa

rogativa Lineæ & fibrarum spectari
soleat. 2. *F. t. 50. fin. & ibi Bocer. class.*
4. *disp. 15. th. 30.* Tandem si nulli
adsint Collaterales, descendentium
quoque Patruus, vel Patruus Ma-
gnus, admittitur, *per text. 1. F. t. 19.*
fin. Borch. n. 85. c. 7. Et hæc succes-
sio Agnatorum non solum locum
habet mortuo Vasallo, sed etiam ob
culpam aliquam Feudum amittente,
quæ culpa pro morte, quoad Feu-
dum, habetur, *Rittersh. n. 16. c. 16.*

§. XXVI. Et ut breviter rem ex-
pediam, prohibentur 1. in Feudo
regulariter succedere, uti sæpius
dictum, *foeminae, 1. F. t. 1. §. 2. 3. nisi*
pacto, vel Investitura aliter cautum
fit. 2. F. t. 2. §. 2. & t. 30. 2. Natu-
rales, *2. F. t. 26. §. Naturales. & ibi Dd.*
Secus est si fuerint Legitimati per
subsequens matrimonium. *vid. su-*
pra. §. 24. in verb. inter liberos. 3.
Adoptivi. *2. F. t. 26. §. adoptivus.*
Adoptio enim jus sanguinis, cui

Feuda dantur, *Cujac. 3. Feud. t. 10.*
 non adfert. *l. qui in adoptionem. 33.*
ff. adopt. 4. Ascendentes. de quibus
supra. d. t. 50. 5. Qui vivente Vasal-
 lo Dominum offenderunt, & Felo-
 niam commiserunt. *per text. 2. F. t.*
55. §. 2. 6. Clerici, qui habitum Re-
 ligionis assumerunt. *§. qui Clericus.*
2. F. t. 26. confer t. 21. fin. & t. 30. 7.
 Imperfecti, ut mutus, surdus, cæ-
 cus, & alii, qui ad servitia præstan-
 da naturâ sunt inepti. *2. F. t. 36. fin.*
 De quibus tamen notandum, illis
 alimenta, si aliunde non habeant,
 ut se sustentare possint, ex Feudo
 deberi. *1. F. t. 6. fin.* Si verò defe-
 ctus aliquis post acquisitionem Feu-
 di supervenerit, amissionem metu-
 ere necessum, non habent. *Schulz.*
Syn. F. c. 8. n. 105. 8. Fratres uterini,
 in successione nimirum Collaterali-
 um, quia cognati. *2. F. t. 11. Hattys.*
in S n. Feud. p. 75. 9. Frater fratri, &
 cæteri Collaterales, in Feudo No-
 vo, *1. F. t. 1. §. 2. & t. 8. fin.* nisi speci-
 aliter

aliter in Investitura hoc sit provi-
 sum. *Gail. 2. Obs. 50. n. 2. & 151. n. 4.*
10. Conjuges. 1. F. t. 15. pr 2 F. t. 13.
fin. 11. Fiscus ; deficientibus enim
Agnatis, Feudum ad Dominum re-
vertitur. 1. F. t. 8. §. 1. Matth.
Steph. Exeg. Jur. Feud. part. 3. concl.
66. Et sic perlustratis breviter con-
 stituendi & acquirendi Feudum
 modis, ad Finem ejus
 pergimus.



CAPUT VIII.

DE FINE ET EFFE-
CTU FEUDI.

SUMMARI A.

- I. Finis & Effectus Feudi est mutua obligatio.
- II. Jus personale quod Domino in personam Vasalli datur, è fide fluit, & duobus includitur.
- III. Fides Vasalli est jurata.
- IV. Reverentia & Honoris Effectus.
- V. Servitia sunt de natura Feudi, & vel determinata, vel indeterminata.
- VI. Quando Vasallus Dominum iurare teneatur.
- VII. Vasallus servitia militaria sumptibus Domini praestat.
- VIII. Quibus de causis Vasallus à necessitate serviendi excusetur.
- IX. Jus reale quod Dominus in Feudo habet, in proprietate eius est.
- X Jus personale, quo Dominus Vasallo obstrictus, in reciproca fide consistit.
- XI. Jus reale Vasalli duplex.
- XII. Vel ratione usus.
- XIII. Vel ratione dispositionis.
- XIV. Vasallus Feudum alienare nequit.
- XV. Debitorum Feudorum consideratio. & XVI. usque ad finem.

§. I. Finis

§. I.

Finis & effectus Feudi, idem ferè sunt, qui cæterorum contractuum, mutua nimirum obligatio. Contrahitur enim Feudum, tam Domini, quam Vasalli gratia; 2. F. t. 33. & utrique duplex jus ratione hujus & personale, ad quid nempe alter alteri obligetur, & reale, quid juris quisque, vel non, in re feudali habeat, competit. *Bocer. Tract. Feud. de Jure & Commod. Senior. itemque Vasall. pr.*

§. II. Jus personale quod Domino in personam Vasalli datur, è fide fluit, & duobus potissimum includitur, reverentia scilicet ac honore, & consilio ac auxilio, vel Servitiis Vasalliticis. 2 F. t. 22. *Schulz. Syn. J. F. c. 9. n. 2.*

§. III. Fidem Vasalli quod attinet, ea regulariter est jurata, unde etiam pro Juramento, quo Vasallus ad fidem præstandam se obligat, accipi-

cipitur. 2. F. t. 4. Juranti vero sta-
 lex in animo versari debent; In-
 columne; ne sit in damno Domino
 suo de corpore suo: Tutum, ne sit
 eo in damno de secreto suo, vel de
 munitionibus suis, per quas esse
 tutus potest: Honestum; ne eist
 in damno de sua justitia, vel de aliis
 causis, quæ ad honestatem ejus per-
 tinere videntur. Utile; ne sit ei in
 damno de suis possessionibus: Faci-
 le, & Possibile; ne id bonum quod
 Dominus suus facere leviter pote-
 rat, faciat ei difficile; neve id quod
 possibile ei erat, faciat impossibile.
 2. F. t. 6. & 7. Et quamvis juramen-
 tum fidelitatis remitti possit, vel pa-
 cto constitui, ut necesse non sit il-
 lud præstari; 2. F. t. 3. §. fin. & t. §.
 24. §. 1. Fides tamen, tanquam
 Substantiale Feudi, remitti nequit,
 neque pacto tolli, quâ sublatâ Feu-
 dum ipsum esse desinit, *Duar. c. 13.*
n. 1. fin. vid. supr. Præstatur autem
 fidelitas non tantum Domino, 2. F.
 t. 4.

t. 4. sed etiam hæredibus ejus, t. 24.
 & à Vasallo non solum, sed & post
 ejus obitum, ab hæredibus ejus. d. t.
 & t. 26. §. omnes. Ubi quæritur;
 quænam differentia sit inter Jura-
 mentum fidelitatis, & Homagium,
 quod alias ab homine Hominium,
 Germanicè die Erb = Huldigung
 vocatur? R. Differentia ex se li-
 quet; posterius enim Subditum
 facit, prius non item, cum Vasallus,
 quatenus talis, Subditus non redda-
 tur, indeque Juramentum fidelitatis
 præstetur tantum ratione rei in Feu-
 dum concessæ, illud verò subjeçtio-
 nis ratione personæ, quæ in Societa-
 te Civili Imperanti subjeçta est.
 vid. Matth. de Afflict. ad 2. F. t. 5. Dn.
 Struv. d. Synt. c. 8. aph. 6. Bidenbach.
 quest. Nobil. 2. n. 14.

§. IV. Reverentiæ & honoris effe-
 ctus est; 1. Quod Vasallus contra
 Dominum actionem famosam insti-
 tuere nequeat. Gl. & F. F. commun. in
 d. t. & t. 24. §. item si delator. et. t. 32. §.
 simili-

similiter. *conf. l. liberto 9. ff. de obseq. parent. & patron. prestand.* Interdictum tamen unde vi non denegatur. *Schulz. c. 9. n. 5.* 2. Quod Dominus vi adhibitâ in jus pertrahi non possit. *d. t. & l. 13. ff. de in jus voc.* Secus est de jure hodierno. *Conf. Dn. Struv. Synt. J. F. cap. 11. aph. 3.* 3. Quod Vasallus Dominum accusare nequeat; *d. t. excipiunt communiter Dd. crimen perduellionis & læsæ Majestatis, Dn. Struv. d. l. neque testimonium contrâ eum dicere, in causâ criminali & civili. 2. F. t. 24. & 33.* 4. Quod â Domino vocatus Spatio competenti venire teneatur. *2. F. t. 55. § 1.*

§. V. Servitia quod spectat, sciendum primo ista esse de natura Feudi, & Vasallum ad ea teneri; licet de his, in Investitura nulla fuerit facta mentio. *c. un. §. in primis 2. F. t. 23. & ibi Præp. Card. in Paris. lib. 1. conf. 23. n. 19.* Sunt verò Servitia ista vel determinata. *d. t. & t. 26. quæ pro cujusli-*
bet

bet Loci consuetudine & qualitate metienda. Sic in Saxonica Ein Pferd/ Ritterdienst/ 1000. flor. æstimari consuevit. Schulz. c. 9. n. 41. Hic disquiritur 1. an Vasallus Dominum Feudi in causa manifestè injusta juvare possit? N. 2 F. t. 7. & 28. & arg. l. 15. ff de cond. Inst. 2. Utrum etiam Vasalli Domini jussu vias publicas custodire teneantur? N. Quia territorii Dominus suis sumptibus, ob vectigalia quæ percipit, viarum securitati prospicere adstringitur. Coler. part. 1. decis. 159. facit. R. 7. de Anno 1548. & 1555.

§. VI. Tenetur autem Vasallus Dominum suum dum demum adjuvare, 1. Si fuerit ab eo requisitus. c. un. §. licet. 2. F. t. 26. Secus est si periculum magnum imminere intelligat. d. t. 2. In propriâ personâ, c. un. 2. F. t. 7. si evidens id suadeat utilitas. d. t. & t. 24. 37. fin. Limitatur 1. ob justum impedimentum. 2. F. t. 26. §. si quis. & t. 55. §. firmiter

femiter. 2 In personis pupillorum,
 Minorum, 2. F. d. e. §. Si Minori.
 Clericorum. d. t. §. Qui Clericus. C.
 1. 21. vel qui inidonei sunt ad Ser-
 vitia. Schütz. d. 1. n. 37. confer Dn.
 Struv. Synt. 7. F. cap 11. ph. 6. Liberum
 tamen Vasallo est, an per substitu-
 tum acceptabilem servire velit, an
 verò dimidiam partem redditus Feu-
 di unius anni præstare. 2. F. l. 55. §. 1.
 Queritur porro; si Vasallus duos
 habeat Dominos inter se belligeran-
 tes, utrum sequi debeat. Dd. in hac
 quaestione inter se non conveniunt:
 Quidam distinguunt inter Dominos,
 & antiquiorem, si de ejus personâ
 certo constet, personaliter, secundo
 vero per substitutum, opem à Vasal-
 lo ferri statuunt. Si verò de eo du-
 bium sit, neutrum juvat teneri Va-
 fallum, nisi manifestum, quis justè
 vel injustè faciat Guerram. Alii
 arbitrio Vasalli, cui personaliter o-
 pem ferre velit, vel non, relinquunt.
 Springsfeld de Jur. Spanic. c. 7. n. 60.
 De

De Jure Saxonico vero cautum est,
 Wann ein Mann zween Herrn
 und mehr hat / die ihm des
 Reichs-dienst gebieten / er ihm
 denn zu ersten gehet / mit dem
 soll er selber ziehen / und den an-
 dern allen soll er Heersteuer ge-
 ben. Secus est de praxi modernâ,
 quâ edocemur; Daß der Lehn-
 mann einem jedem Herrn Pferd
 und Knecht / wie er Ihm zu die-
 nen schuldig gewesen / zuschickt /
 und er sitzt vor seine Person stille.
*Adde Schrader. de Feud. c. 6. quest. 6.
 n. 19. & seqq.*

§. VII. Præstat poro Vasallus ser-
 vitia militaria sumtibus Domini,
 tam in territorio, quam extra illud:
 2. F. r. 107. Neque textus 2. F. r. 23.
 huic assertioni contrariari videtur;
 ibi enim tantum dicitur, quod Va-
 sallus habeat Feudum, ut serviat, non
 autem deciditur cujus sumtibus ser-

vire

wire debeat, cujus decisio in allega-
 to textu priori reperitur, & iniquum
 foret Vasallum duplici onere grava-
 ri, servitiis scilicet & sumtibus pro
 iis expediendis. *arg. l. Titia. 34. §.*
qui invita. ff. de legat. 2. Tuschus, pract.
concl. lit. O. concl. 136. plura vide apud
Finckel. Obs. 87. Damnum tamen
 quod Vasallus in expeditione fece-
 rit, amittendo nimirum equum aut
 arma, ad ipsum spectat, nec à Domi-
 no repetere potest. 2. *F. t. 7. & 28.*
Rittersh. 2. Feud. cap. 1. n. 35. Secus
 est de Jure Saxonico, *Lehnrecht.*
l. 4. v. Wer ein Pferd. quod ta-
 men consuetudine non receptum,
 cum & Jus Feudale Saxonicum, in
 Provinciis Saxonis non adeo usu
 receptum sit, sed potius secundum
 juris communis regulas responderi
 & judicari soleat. *Hartm. Pistor. lib.*
2. part. post. q. 25. n. 25 & q. 26. n. 17.

§. VIII. Excusatur denique Vasal-
 lus

Ius à necessitate serviendi, 1. Si Feudum sit Francum. 2. *F. t.* 104. 2. Si Dominus sit excommunicatus, aut Bannitus, donec restituatur. 2. *F. t.* 28. 3. Si Servitia præscripserit, & libertatem eorum acquisiverit, 1. *F. t.* 21. 4. Si neque Fructus neque comoda ex Feudo sine culpâ suâ percipiat. *Rittersh. 2. Feud. l. n. 44.*

§. IX. Jus reale, quod Dominus in Feudo habet, in proprietate ejus est. 2. *F. t.* 23 *fin.* Sic Vasallo sine hæredibus Feudalibus & agnatis mortuo, feudum ad Dominum devolvitur. 2. *F. t.* 11 15. 18 28 §. *His consequenter.* Proprietas tamen ista à Domino, invito Vasallo, alienari nequit, 2. *F. t.* 34. §. 1. & 1. 55. §. *Præterea.* nec vasallus cogi, ut alterius fiat Vasallus. *VVesenb. cap. 10. n. 9.* Fallit, si Dominus Feudum & Vasallos cum totâ Curia alienet, ubi notandum, quod in istâ alienatione Curia, & Feudum & Vasalli expref-
se

se nominari debeant, alias in generali alienatione non continentur, 2. F. t. 26. § generali. t. 34. § 1. & t. 51. Fallit, in alienatione commoditatis servitorum & oppignorationis Feudi, modo pro tanta summa fiat, ut spes sit reuisionis, ne Vasallus obligetur Creditori Domini sui. Borch. c. 8 n. 140.

§. X. Jus personale, quo Dominus Vasallo obstrictus, in reciproca fide, & mutuâ obligatione consistit, quâ Dominus in omnibus iis, quæ Vasallus jurato ipsi promittit, vicem fidei suo reddere debet, si non pro malefido haberi velit. 2. F. t. 6. §. ult. Discrimen tantum in eo est, quod Vasallus fidem jurare. 2. F. t. 3. §. nulla autem. & t. 7. fin. Dominus verò non teneatur, sed eam injuratus præstet, & quod Vasallo non obligatus sit ad obsequium & reverentiam, multominus ad servitia. Duar. cap. 13. n. 8.

§. XI. Jus reale quod Vasallus in Feudo

Feudo habet, consideratur vel ratione Usus, vel Dispositionis.

§. XII. Ratione Usus ipsi competit; 1. Dominium utile, 2. *F. t. 8. §. rei autem.* 2. Possessio, 2. *F. t. 7. fin. & t. 8. §. 2. t. 22. pr. t. 26.* quæ tamen in suos hæredes non continuatur. *Schulz. d. c. n. 49.* 3. Jus percipiendi & fructus faciendi suos. 2. *F. t. 23. 28. §. his consequenter. t. 45.* Arbores tamen fructiferas incidere nequit. *Clar. recept. Sent. lib. 4. §. Feudum. q. 47.* 4. Facultas lucrandi incrementa & accessiones rei Feudalis, 1. *F. t. 4. §. 5.* in tantum, ut si fundo Feudali quid accreverit, ne quidem Investiturâ novâ opus sit. Secus est, si mansum restrictè fuerit concessum. 1. *F. t. 4. §. 5.* Thesauri quoq; in fundo Feudali inventi Vasalli efficiuntur. *vid. Dn. Struv. d. Synt. cap. 12. apl. 5. arg. l. fin. C. de Alluv.* 5. Actiones pro Feudo instituendi, excipiendi, transigendi, 2. *F. t. 26. §. si Vasallus de beneficio. & d. t. 8. modo*

G

Feudum

Feudum penes se retineat, item compromittendi in Arbitrum, sine præjudicio Domini. 2. *F. t.* 34.

§. XIII. Ratione dispositionis in Jure Feudali habetur Regula, quod meliorem tantum facere possit Vasallus Feudi conditionem, non verò deteriolem. 2. *F. t.* 8. Conceditur itaque hæc Regulâ Vasallo, 1. Jus Feudo Servitutes acquirendi, eidemque imponendi, ut sibi tantum non verò Domino vel agnatis nocent. *d. t.* 2. Potestas subinfeudandi, zum Aifter-Lehen ansetzen. 2. *F. t.* 3. §. 1. *t.* 9. 26. §. *beneficium.* 1. 34. §. 2. quæ in Feudo Seculari & Ecclesiastico Locum habet, *Rittersh.* 2. *Feud. cap.* 2. n. 14. & subinfeudato tribuitur. *d. t.* 34. Ut verò subinfeudatio valeat, tria requiruntur; 1. Ut bona fide fiat, hoc est sincerè & sine ullâ fraude. *d. t.* 3. §. 9. non permittendo occultam venditionem, vel aliud in fraudem Domini & Agnatorum

torum. *Mynsing. cent. 1. obs. 62. n. 1.*
adde Afflict. 1. c. un. §. sed & res. post
gl. ibid. n. 2. 2. Ut fiat personæ ejus-
dem vel melioris conditionis, & ad
servitia equestria idoneæ. *d. t. 26. &*
34. 3. Ut fiat eâdem lege, hoc est,
iisdem pactis & conditionibus, qui-
bus subinfeudans Feudum tenet. *d.*
t. 34. Jacobinus de S. Georg. in sua In-
vestit. n. 3. Observatis his requisi-
tis subinfeudatio valet, & nihil præ-
judicat Domino, cum per illam ipsi
non acquiratur alius Vasallus, sed
tantum Subvasallus; 2. *F. t. 55. §. 2.*
nec Successoribus Feudi ullum creat
præjudicium, cum mortuo Vasallo
subinfeudante expiret, & Feudum
ad proximum devolvatur Agnatum;
1. *F. t. 5. §. rursus. & t. 13. §. etsi cli-*
entulus. 2. *F. t. 9 Borch. c. 8. n. 51.* Re-
soluto enim jure dantis resolvitur
jus accipientis. *arg. l. lex vectigalis.*
31. ff. de pignor. 3. Jus refutandi Feu-
dum, die Lehns-Auffkündigung.

2. *F. t. 38. & 44. & arg. l. pen. C. de pactis.*

Dividitur refutatio ista vel in propriam vel impropiam. Propria est, quæ fit in manus Domini, 2. F. t. 9. §. 1. & t. 14. & si Feudum quidem sit novum, tunc ista præjudicatur descendentibus & agnatis, quibus jus revocandi non competit: Si verò sit antiquum, refutatio tantum nocet filiis & agnatis, quoad vivit refutans, quomortuo ad illos rursum recidit. *Vult. cap. 10. n. 77.* Impropria fit descendentibus vel proximis agnatis, Domino invito, si Feudum sit antiquum, 2. F. t. 38. & 39. quos Dominus investire tenetur. *Borch. cap. 8. n. 55.* Secus est in Feudo novo, ubi refutatio pro alienatione habetur. *Rittersh. 2. F. cap. 2. n. 29.* Quæritur? Si refutatio non fuerit proximo agnato facta, an is Feudum intra annum, vivo etiam refutante, revocare possit? *A. 2. F. t. 3. §. sed etiam res. & t. 26. §. Titius filios.* Intelligimus autem hîc refutationem eam, quæ pretio facta, non quæ

quæ gratis fit, quam proximus agnatus, non nisi mortuo refutante, revocare potest. *1. F. t. 8. §. hoc quoque* & *d. §. Titius*. Et licet agnatus per lapsum anni à jure *περὶ μὴν* excludatur, non tamen ei perimitur jus revocandi ex successione habens, quod ad 30. annos durat. *Borch. d. l. n. 143.*

§. XIV. Denegatur tamen Vasallo unum jus, nimirum alienandi Feudum, *1. F. t. 5. 2. F. t. 9.* & quoad totum, & quoad partem, *2. F. t. 55.* Secus est in Feudo hæreditario, quod instar aliarum hæreditariarum rerum alienari potest; *Gail. 2. Obs. 154. n. 12. 13.* & si consensus eorum, quorum interest, accedat; *2. F. t. 39. Hunn. cap. 12. quest. ultim.* Aut si Feudum ad proximiorum agnatum, qui alioquin successurus erat, alienatum sit. *2. F. t. 3. §. 1.* Item in fructibus & commoditatibus Feudi, quæ retè alienantur, dum vivit Vasallus, aut Feudum non ad Dominum redit,
sup *VVesemb.*

Wesenb. cap. 11. n. 6. quo nomine etiam dotes in fructibus constituuntur, & Judex ex causâ judicati creditores in bona Feudalia, si nihil aliud superfit, unde ipsis satisfiat, ad percipiendos fructus mittit. *Gail. 1. Observ. 117. n. 2. 7.* Comprehenditur autem verbo alienationis omnis actus per quem Dominium transfertur, *l. 1. C. de fund. dot.* Hinc Vassallus nec vendere Feudum potest; *2. F. t. 55.* Nec permutare, cum permutatio quoque sit alienatio, *l. 1. §. item emptio. ff. de rerum permut.* Nec donare, siue inter vivos, siue mortis causâ. *2. F. t. 9. §. donare.* Nec in dotem, nec propter nuptias dare, *D. D. comm. in d. §. donare.* Dote tamen illatâ, mortuo Vasallo Successores viduæ dotalitium **Ein Leibgeding** in Feudo constituere tenentur. *Rittersh. 2. Feud. cap. 3, n. 31. vid. infra plura.* Nec oppignorare, quia nexus pignoris est alienationis species. *t. t. ff. et C. de distrab. pign.* *Gail. 2. Obs. 154. n. 5*

§. XV. His verò quæ hætenus de Jure, quod Dominus & Vallus in Feudo habent, diximus, brevissimis subnectenda Debitorum Feudalium consideratio.

§. XVI. Distinguendum itaque circâ debita Feudalia, inter Feudum Hereditarium, & propriè dictum, quod est ex pacto & providentia; Illic succedentes indistinctè tenentur, etiamsi de Allodialibus Inventarium fuerit confectum, vel agnatus cum filia defuncti succedat, licet Dominus Feudo ad ipsum devoluto à debitis hiscè planè sit immunis. *Dn. Struv. Synt. J.F. cap. 14. aph. 2.* Hic iterum distinguendum inter filium & agnatum; Ille omnia defuncti debita agnoscere obstrictus, nec in Feudo succedere potest, nisi hæreditatem quoque paternam adierit, atque ita susceperit onera hæreditaria, quamvis Inventario confecto. *Dn. Carpov J.F. p. 2. c. 45. def. 5. & 6.* Constructio tamen Inventari;

ventarii haftenus proficit, ne ultra vires Hereditatis & Feudi conveniri possit. *Dn. Mevius Discus. Lev. inop. Debit. cap. 7. n. 194. Dn. Struv. d. c. aph. 30.* Ubi casus vide exceptos, quibus scilicet filius debita haereditaria agnoscere necessum non habeat.

§. XVII. Circa Agnatos distinguo inter Onera Feudi & Vasalli. Illa sunt vel sua natura talia, vel ex consensu. Quae sua natura talia sunt, ex dispositione Juris Feudum afficiunt vel simpliciter, vel in subsidium.

§. XIX. Prioris generis censentur i. debita in Feudi utilitatem contracta, ubi versionis probatio incumbit illi, qui ex Feudo solutionem petit. *Herttm. Pistor. part. 1. quaest. 31. n. 15. Dn. Carpzov. J. F. p. 2. c. 46. def. 26. Dn. Richt. Decis. 78. n. 30.* Expeditur verò haec probatio vel directè per ocularem demonstrationem, aut per praesumptio-

ptiones, de quibus vide Schulzium. *Synops. f. F. cap. 8. n. 178.* Hic verò minimè spectant debita Fructuum ex Feudo percipiendorum, aut Servitorum præstandorum causâ contracta. *vid. Dn. Struv. d. l. aph. 16. ubi elegans Dn. Scabin. Hall. Responsum de Anno 1646. affert.* Pertinet quoque ad hanc Classem Salarium Advocati qui causam Feudi utiliter gessit. *Dn. Carpzov. J. F. d. c. 46. def. 30. 2. Residuum pretii quo Feudum est emptum. Dn. Carpzov. d. c. def. 27. Dn. Struv. d. l. aph. 8.* Quæ onera extra dubium quosvis defuncti agnatos sequuntur, imo & ipsum Feudi Dominum, quamvis de residuo pretii plurimi adhuc dubitent. *Dn. Struv. d. aph. in fin.*

§. XIX. 3. **Dotalitium.** Est autem Dotalitium donatio quædam, quam facit Maritus, aut eo defuncto Successor, in compensationem dotis, ut uxor post mortem mariti eâ ad vitam

vitam utatur fruatur, vulgò Leibzucht/Leibgeding.

§. XX. Causa Dotalitii ~~congruata~~ est Dos mulieris. *Harttm. Pistor. l. 1. g. 4.* Et quidem requiritur dotem fuisse revera illatam; *arg. auth. Dos data. C. de Donat. ante Nupt. p. 2. Const. Nov. Elect. Aug. 44.* ex quâ illatione etiam versio in rem præsumitur, quæ tamen contrariâ probatione elidi potest. *Harttm. Pistor. p. 1. d. 9. 4. n. 17.* aliàs Confessio mariti ad probandam illationem non sufficit; *Carpzov d. c. 44. def. 10.* nec sufficit, si de Dotalitio constituendo pactis Dotalibus fuerit conventum; *Harttm. Pistor. d. l.* idque respectu agnatorum regulariter procedit, quamvis quoad Heredes & filias mariti, die Land = Erben/ secus sit. *Schulz. Syn. J. F. c. 8. n. 285.*

§. XXI. Ad Formam Dotalitii spectat, ut modum usitatum non excedat. Consistit verò ille in usu-
fructu

fructu sive usuris dotis duplicatæ,
 ita ut præstentur dextantes, *VON*
Hundert 10. vid. Schulz. d. l. n. 246.
ibidemque Responsum J. Ctor. V. Witteberg.
 Citra consensum itaque agnatorum
 & Domini Feudi, modum Jure con-
 stitutum excedere neutiquam licet,
 nisi quoad filios & Heredes. *Dn.*
Carpzov. 7. F. p. 2. c. 42. def. 5.

§. XXII. Constituto verò Dotali-
 tio mulieri nihilominus datur ele-
 ctio, an dotem illatam repetere, vel
 flagitare Dotalitium, aut constituen-
 dum petere velit. *Harttm. Pistor. p.*
1. 9. 4. n. 20. Dotalitio tamen semel
 electo eo contenta esse tenetur; *Nov.*
Const. Elect. 12. p. 2. ubi Dn. Carpzov.
 quamvis ex æquitate si realiter non-
 dum sit apprehensum Interpretes
 Juris Saxonici Viduæ Jus optandi re-
 linquunt. *Schulz. d. l. n. 231.* Utrum
 autem Mulier si vivente Marito do-
 tem promissam non intulet, post-
 modum inferre parata, Dotalitium
 à Suc-

à Successoribus Feudi petere possit,
 quaritur? N. de Jure Communi se-
 cundum D. D. in *Auth. Dos data C. de*
Don. ante Nupt. nisi 1. mariti fuerit
 culpa; 2. Dos sub certo die fuerit
 promissa, & antequam is venerit,
 Maritus moriatur; 3. Si Maritus
 simpliciter saltem de Dote solvenda
 fidem habuerit, vel denique Dos
 ab alio quam uxore solvi debeat.
Schulz. d. l. n. 233. Secus est de Con-
 suetudine Saxonica. *Rothschütz.*
Tr. de Dotalit. a. 1. n. 13. Quod fallit
 1. Muliere usuras Dotis præstare ne-
 gante; *Carpzov. J. F. d. c. 44. def. 11.*
 2. Si Successores Feudi totidem rati-
 one donationis propter Nuptias ad-
 dere malint. *Harttm Pistor. lib. 1. q.*
4. n. 28. Sane si vivente Marito
 Dos planè non fuerit promissa post
 obitum ejus agnati ad constitutio-
 nem Dotalitii non tenentur, etiamsi
 Vidua Dotem inferre parata sit. *Dz.*
Carpzov. lib. 6. Respons. 56. Eodem
 modo Viduæ; post Mortem Mariti
 Dotem

Dorem promissam offerenti, non debetur Dotalitium in Concursu Creditorum. *Carpzov. d. c. 44. def. 12.*

§. XXIII. Effectus Dotalitii constituti est 1. quod Mulier in bonis sibi adsignatis habeat usumfructum ad vitam ; *p. 2. Nov. Constit. Elect. Aug. 42. ubi Carpzov.* 2. Quod mulier ad Onera obstringatur eadem, quæ Usufructuario incumbunt. *Carpzov. J. F. p. 2. d. c. 42. def. 7. & 8.* 3. Quod Dotalitio semel constituto & electo Dos penitus extinguatur. *d. c. 42. ubi Moller. & Carpzov.* Ad Contraria Dotalitii pertinent, 1. Adulterium. 2. Mors Uxoris. *vid. Schulz. d. c. 5. n. 254. & seqq.*

§. XXIV. Atque hæc sunt debita quæ principaliter ex Feudo solvenda, illis verò deficientibus ex Allo-dialibus Heredes debitoris conveniri possunt, vel directò statim si Debitor id expressè disposuerit. *Dn. Struvius, d. c. aph. 26.*

§. XXV.

§. XXV. Posterioris Generis debita, quæ in subsidium demum, deficiente scilicet Allodio, ex bonis Feudalibus, ab Agnatis vel Domino Feudi præstanda, sunt 1. Alimentatio & Dotatio filiarum, *Hartm. Pistor, p. 2. quest. 37. Carpzov. J. F. p. 2. c. 46. def. 16.* 2. Alimenta filiis ob animi corporisvè vitium ad succedendum in Feudo inhabilibus eroganda. 1. *F. t. 6. §. Mutus Dn. Carpzov. J. F. p. 2. const. 46. def. 28. Dn. Struv. d. c. aph. 18.* 3. Legitima ex Feudo Novo Emptio, cujus pretium omne Patris Allodium, vel maxumam ejus partem absumpsit, filiabus debita. *vid. Dn. Carpzov. J. F. d. c. 46. def. 24.* 4. Impensæ in Funus defuncti Vasalli. Quamvis enim Dominus *Carpzovius d. c. 46. def. 36.* Successores Feudi ad has solvendas ne in subsidium quidem obstrictos censeat; Verior tamen assertio Domini *Mevii, p. 2. Decis. 174.* quod si Hereditas honestæ Vasalli Sepulturæ non sufficiat,

ex

ex Feudo impendia in subsidium
facienda concludentis. Est enim id
ipsum quod summa æquitas, & sin-
gularis causæ favor postulant. Dn.
*Struv. d. c. aph. 20. ubi Sententiam Dn.
Scabinorum Hallensium allegat.*

§. XXVI. Onera vel debita Feudi
ex Consensu sunt, quæ per oppigno-
rationem ex Consensu Domini Feu-
di & Agnatorum Feudo imponuntur.
Conveniendi verò Dominus & Ag-
nati non nisi in subsidium, deficien-
tibus scilicet bonis Allodialibus,
quod de Jure Communi certissi-
mum. Dn. *Struv. d. l. Schrad. p. 7. c. 7.
n. 42.* Jure verò Electorali Saxoni-
co ex Feudo ipso principaliter, licet
Vasallus defunctus bona reliquerit
Hereditaria, exsolvenda sunt. *Carp-
zov. J. F. p. 2, c. 46. def. 7.* Quod si
consensus Domini ad certum tem-
pus fuerit datus, tempore elapso
Hypotheca extinguitur, nisi clausu-
la reservatoria fuerit adjecta. Dn.
*Struv. d. c. aph. 23. Carpzov. J. F. p. 2.
c. 23*

c. 23. def. 25. Si consensus solius accesserit Domini, Agnati non tenentur, sed ex facto suo Dominus aperto Feudo. Dn. Struv. d. l. aph. 21. Sin autem Agnati sine consensu Domini in hypothecam consenserint, inde non obligantur, sed hypotheca est invalida; Dn. Struv. d. l. aph. 22. Dn. Carpz. d. c. 46. def. 8 & 9. nisi ad solutionem se adstrinxerint Dn. Struv. d. l. Dn. Carpzov d. c. def. 10. Quomodo tamen Jure Saxonico novissimo Agnatus ex consensu suo citra confirmationem Domini Feudi conveniri possit, vide Nov. Decis. 67.

§ XXVII. Onera Vasalli quod concernit, filios quidem & Heredes defuncti eadem sequuntur. vid. supr. Dn. Struv. d. c. aph. 30. Domino verò Feudi & Agnatis quicquam negotii haud faceflant. Schulz. d. c. 8. n. 164. Sed Agnati quoque Hereditate repudiata, Feudum retinere possunt.

Dn. Struv. d. l.

CAP. IX.

CAPUT IX.

DE CONTRARIIS
FEUDI.

SUMMARIA.

- I. Feudum amittitur vel ob culpam Vasalli, vel extra eam.
- II. Culpam istam Felonia dicitur, & in committendo vel omittendo consistit.
- III. Vasallus principaliter in Dominum delinquit, vel in vita, vel fama, vel bonis.
- IV. Quomodo per consequentiam in Dominum Vasallus delinquat.
- V. In extraneum delinquendo Vasallus Feudum cadit.
- VI. Quomodo culpa omissionis Vasallus Feudum perdat.
- VII. Quomodo extra culpam Vasalli Feudum extinguatur.
- VIII. Ad quem Feudum extinctum recidat.
- IX. De fructibus Feudorum.
- X. De Impensis & Meliorationibus Feudorum.

§. I.

HActenus eam, quæ ad constitutionem Feudi faciunt, quæque e-

H am

am comitantur, brevi per picillo perlustravimus; nunc quoque quibus modis Feudum amittitur vel extinguitur, qui ejus contraria vulgò dicuntur, paucis persequemur. In duas autem classes commodè reduci possunt; Aut enim Feudum amittitur vel ob culpam Vasalli, 1. F. t. 21. §. 22. §. fin. vel extra eam.

§. II. Culpa, quâ Vasallus Feudum amittit, Felonia dicitur, quæ vel in committendo vel omittendo consistit. 2. F. t. 23. Illa vel committitur in Dominum, vel Extraneum. In Dominum vel principaliter, vel per consequentiam, Rittersh. 2. Feud. c. 5. n. 4.

§. III. Principaliter in Dominum Vasallus delinquit, vel in vitâ, vel famâ, vel bonis. In vitâ & famâ, si Dominum assalierit, occiderit, vel vitæ ejus insidiatus fuerit. 1. F. t. 5. §. Similiter. 2. F. t. 24. §. Porro, Secus est, si Dominum occiderit se tuendi causa, arg. l. 3. ff. de Just. & Jur. vel

vel in Adulterio cum uxore suâ de-
 prehensum. *Schulz. Syn. Feud. c. II. n. 10.* Si ipsum atroci injuriâ, vel
 reali, vel verbali, affecerit. *d. §. porro. Borch. c. 8. n. 110.* Si cum ho-
 stibus ejus fœdus aut amicitias con-
 traxerit. *2. F. t. 24. §. item si delator.*
 Si testimonium contra eum dixerit.
2. F. t. 33. §. 2. Secus est in caussa
 Feudali. Si ipsum criminaliter ac-
 cusarit. *d. t. §. 2.* Fallit in crimine
 læsæ Majestatis, & si suam suorum-
 que injuriam persequatur. *Vvesemb. c. 15. n. 5.* Si credentiam & arcana
 Domini scienter & dolo malo ma-
 nifestaverit. *1. F. t. 17.* In bonis; Si
 Feudum sive totum, sive partem, si-
 ne consensu Domini alienaverit, vel
 negaverit, ubi quantum alienavit,
 vel negavit, perdit. *2. F. t. 26. §. Va-
 sillus. §. t. 38. pr.* Fallit, si traditio
 non fuerit secuta, quo casu Feudo
 non privandus. *Borch. n. 81. c. 8.* Si
 Feudo abutatur. *2. F. t. 27.* Si ca-
 strum Domini oppugnaverit. *1. F. t. 5.*

§. *similiter.* Si grandem patrimonii
jacturam Domino intulerit. 2. F. r.
24. §. 2.

§. IV. Per consequentiam delin-
quit Vasallus in Dominum; Si eos,
qui in potestate Domini sunt, ejusvè
affectui subjacent, injuria afficiat.
2. F. r. 7. Si Dominum cucurbitet.
1. F. r. 5. & 21. hoc est, si sponsæ vel
uxoris ejus; aliarumvè ipsi sangui-
nis, vel affinitatis vinculo conjun-
ctarum, puta filix, neptis, matris so-
roris, & similibus, pudicitiam violet
& attentet. d. r. Ampliatur licet stu-
prum consentientibus inferat. *arg.*
l. i. §. *usque adeo ff. de injuriis.* Item,
si tantum concumbere cum uxore
Domini exercuerit, d. r. 5. vel tur-
piter luserit. Limitatur, i. in Vidua
Domini, 1. F. r. 21. nisi intra tempus
luctus vitietur. *arg. l. ii. §. i. ff. de his
qui not. inf.* 2. Si errore fuerit lap-
sus Vasallus. 3. Si à molimine resi-
liat. *Schulz. d. l. n. 32.*

§. V. In extraneum delinquendo
Vasal-

Vasallus Feudo cadit; Si parricidium, 2. F. t. 24. §. *denique vers.* Si vero non in Dominum, aut homicidium parricidio simile; puta si Fratrem, vel ex eo Nepotem, neci dederit; Secus est quoad Fratrem Domini; 2. F. t. 37. aut aliud atrocissimum scelus, propter quod honestè in Curia Domini stare non possit, commiserit, puta læsæ Majestatis. *Schrad. p. 9 c. 8. n. 18. &c. vid. de violat. Pacis publ. R. I. de Anno 1495, & 1548.* Item si in Subditos suos sæviat, 2. F. t. 27. *Wesemb. c. 15. n. 5. in fin.* aut Convalallum tradat, ut in Curia amplius stare non possit, 2. F. t. 37. vel incestas contrahat nuptias, aut manus violentas sibi ipsi inferre velit. 2. F. t. 26.

§. VI. Culpa omissionis Feudum Vasallus perdit, Si intra annum & diem, à morte vel Domini, vel prioris Vasalli, Investituram dolo aut negligentia non petierit. 1. F. t. 22. 2. F. t. 24. 40. *pr. & 52. §. ult.* Secus

est in justâ ignorantia mortis alienæ²
 ætate pupillari, & aliâ justâ causâ.
Rittersh. 2. F. c. 5. n. 43. 44. 2. F. t. 52.
 §. *fin.* Item in Feudis exiguis, in qui-
 bus Vasalli ad Servitia militaria non
 sunt obligati. *Vvesemb. c. 15. n. 7.*
 Si Domino fidelitatem & servitia
 præstare detrectaverit. *1. F. t. 21. 2. F.*
t. 24. §. 1. & 2. Fallit, si à Domino
 non fuerit legitimè requisitus. *2. F.*
t. 22. & 26. Si justitiam Domino fa-
 cere neglexerit. *2. F. t. 24. §. illud ta-*
men. Et t. 55. §. 2. Si Dominum pe-
 riclitantem non admonuerit, nec
 adjuverit. *2. F. t. 28. §. tum tamen sci-*
as. Et t. 39. fin. Fallit in perjurio Do-
 mini. *2. F. t. 26. §. licet Vasallus. in*
verb. inde quasitum. Si in prælio eum
 nec mortuum, nec ad mortem vul-
 neratum, deseruerit. *1. F. t. 5. 2. F. t. 57.*
 Si Dominum ab hostibus, cum pos-
 set, non redemerit, nec inclusum
 liberaverit. *2. F. t. 24.* Et hæc de mo-
 dis quidem, quibus Vasalli culpâ
 Feudum amittitur, sufficiant, Ubi
 colo-

colophonis loco i. notandum Vasallum ante omnia de culpâ convictum esse, & Judicis sententiam intervenire debere. 1. F. t. 21. pr. t. 22. § *sanctimus*. 2. F. t. 51. § *si voluerit*. & t. 57. *Gail. 2. Observ. 48 n. 9* & *Dd ibi passim*. 2. Dominum eâdem culpâ Feudi proprietate privari. 2. F. t. 47. Dominus enim & Vasallus sunt è numero correlatorum, & quod de uno dispositum est, etiam de altero intelligi debet. *Abrah. Marconet in epit. loc. leg. Nicol. Everh. l. 25. p. 58.*

§. VII. Extra culpam Vasalli Feudum denique extinguitur, vel religionis ingressu, 2. F. t. 21. 26. §. *qui Clericus*. t. 30. 36. vel præscriptione; d. t. 26. §. *si quis*. vel refutatione; 2. F. t. 9. 39. 49. vel interitu rei Feudalis; *arg. §. pen. Inst. de Usufr. & l. 178 ff. de reg. jur. Rittersh. 2. Feud. c. 6. n. 10.* vel morte Vasalli, nullis relictis Feudi Successoribus. 1. F. t. 5. §. *rurfus*. & t. 13. §. *etsi clientulus*. 2. F. t. 9. 12. 18. Item in Feudo Castaldia, Guardia,

diæ, & reliquis impropriis Feudis ad certum tempus datis, quæ eo elapso à Domino revocari possunt; 1. *F. t. F. pr. & t. II.* & aliis modis similibus.

§. VIII. Hic verò disquiritur, 1. ad quem Feudum, prædictis modis extinctum, recidat? Distinguendum breviter inter Feudum Novum & Antiquum: Illud ob Feloniam amissum, ad Dominum devolvitur, 2. *F. t. 24. §. 3.* & Feloniam quamvis committente defuncto, Filiis pariter atque Agnatis non succurritur, nisi Feudum singulari Filiorum aut Agnatorum contemplatione fuerit concessum. *Schulz. Synop. J. F. c. II. n. 62.* Secus quoque in Agnatis simultaneè investitis. *Dn. Siruv. Synt. J. F. c. 15 aph. 13.* Hoc paternum seu antiquum, ob culpam in Dominum Feudi directò sive per consequentiam amissum, ad Dominum quidem revertitur, ita tamen, ut post Vasalli, qui deliquit, ejusque filiorum

filiorum mortem, agnatis sit concedendum. *conf. t. 2. F. t. 40. §. ult. vid. Carpzov. J. F. p. 3. c. 27. def. 6. 8. & 16. Dn. Struv. d. c. aph. 14.* Amissum verò Feudum Antiquum ob aliam culpam in Dominum non commissam, Agnatis non defertur, exclusis tantum filiis delinquentis. *2. F. t. 37. Carpzov. J. F. p. 3. c. 27. def. 1. & 3.* Si verò ob crimen fractæ Pacis publicæ feudum amittatur, filiis læso satisfaciendis id non denegandum. *R. A. de Anno 1548. tit. Poen der Friedbrecher.* Quidam Interpretes hoc posteriori casu, si scilicet culpa in Dominum non fuerit commissa, Filios, Agnatis plane comparantes, à Feudo non excludunt. *Gail. 2. de Pac publ. c. 13. n. 21.* quod Jure Saxonico quoque expresse constitutum. *p. 3. c. 27. ubi Carpzov. def. 3. vid. Dn. Struv. d. c. aph. 15.*

§. IX. 2. De Fructibus Feudi controversa agitur quæstio, si Feudum
vel

vel culpa Vasalli amissum, vel morte ejusdem ad Agnatos aut Dominum devolutum, quid de iis contra Heredes Allodiales statuendum sit? Distinctionis fœdere lis ita terminanda, aut enim ob culpam in Dominum commissam Feudum amittitur, quo Casu restituendum cum fructibus à tempore delicti perceptis, sive extantibus sive consumptis; Ratio, quia Feudum à momento facinoris ipso Jure ad Dominum redit, & delinquens pro malæ fidei possessore habetur, *Dn. Struv. Synt. 7. F. c. 15. aph. II. n. 4.* aut non, sed culpâ in Dominum non redundante Feudum Agnatis obvenit, ubi cum *Dn. Struvio d. c. aph. 26.* existimarem, Agnatos non alios posse petere fructus, quam eos, qui alias mortuo Vasallo sine filiis ad ipsos cum Feudo transferuntur, reliquos vero ad Dominum spectare. Si verò Feudum absque culpâ, morte v.g. Vasalli finitum fuerit, verius distinguitur

guitur

guitur inter fructus Industriales, Civiles, & Naturales. Quoad Industriales, iterum distinguendum inter Jus Commune, & Saxonicum: Illo, si Vasallus medio tempore inter Martium & Augustum decesserit, ad Hæredes ejus pertinent; sin vero post Augustum, aut ante Calendas Martii; Feudi Successoribus servantur. 2. F. t. 28. §. His consequenter. Harttm. Pist. p. 1. q. 24. n. 39. Dn. Carpzov. J. F. p. 3. c. 32. def. 1. Dn. Richter. p. 1. Decis. 56. n. 8. Hoc, omnes fructus qui ex agro, sato & rastris subacto, proveniunt, heredibus demortui cedunt. lib. 2. Land-
 Recht. a. 58. p. 3. Nov. Const. Elect. Aug. 32. ubi Carpzov. def. 1. § seqq. Seminatio verò & rastratio conjunctim requiruntur, dd. ll. confer Richter. d. Dec. 56. n. 3. Idem quoque ad fructus Hortorum sato & rastris subactos pertinet. Carpzov. J. F. p. 3. Quest. 32. Def. 2. Quod verò Fructus
 attinet

attinet Industriales, qui seminationem & rastrationem non desiderant, uti sunt Lac & Lana, Jus coquendi Cerevisiam, Venationes, Fructus Lapidinarum, Aucupiorum, etc. circa hos etiam in foro Saxonico, *juxta dist. d. t. lib. 2. F. t. 28.* an nempe Vasallus medio tempore inter Martium & Augustum decesserit, nec ne, dijudicanda controversia. *Berlich. p. 3. Concl. 43. n. 36. Carpzov. d. Const. 32. def. 9.* Quoad Fructus Civiles distingvo, an dies eorundem cesserit, an verò non: Illic omnes pertinent ad Heredes Vasalli; Hic verò pro rata demum. *arg. l. 7. C. sol. matrim. Harttm. Pistor. I. q. 24. n. 60.* Jure Saxonico, si dies intra trigessimum à morte defuncti non venerit, fructus hujusmodi ad Successores Feudi simpliciter pertinent, exclusis Vasalli Heredibus. *Dn. Carpzov. J. F. p. 3. c. 16. def. 6. & c. 32. def. 19.* Secus est in annuis redditibus, aliisque fructibus Civilibus

libus

libus Jure Dotalitii competentibus
 Viduæ. *Carpzov d.c. def. 19.* Fructus
 Naturales aut sunt percepti, vel non:
 Priori casu cedunt Heredibus; po-
 steriorem verò Jure Communi distin-
 guendum. *juxta d. t. in lib. 2. F. c. 28.*
Harttm. Pistor. part. 1 quest. 24. n. 54.
& seqq. Jure Saxonico ad Feudi
 Successorem cum fundo transmit-
 tuntur. *p. 3. Constit. Nov. 31. ubi Dn.*
Carpzov. Dn. Richter. d. Decis. 56. n.
10. & 11. Secus est in Fructibus Vin-
 demiarum, illi enim, si Vasallus
 post diem Urbani decesserit, itidem
 Heredibus ejus cedunt, *lib. 2 Land-*
Recht. c. 58. quem textum adhuc
 observari tradit, *Harttm. Pistor. lib.*
3. quest. 24. In Provinciis tamen
 Thuringiæ, in quibus Tempus *Der*
Ruren longo intervallo Festum
 Urbani sequitur, textum hunc non
 considerari tradit, *Dn. Carpzov. d.*
c. def. 8.

§. X. De Impensis & Melioratio-
 nibus

nibus in Feudum, eo finito ut plurimum disputari solet; Ubi distinguo, an Feudum extinctum fuerit culpâ Vasalli, an vero non, Illic omnes Impenlæ sive Meliorationes ad Dominum vel Agnatum cum fundo transeunt: *Dn. Struv. Synt. J. F. c. 15. aph. 16.* Hic verò iterum distinguo inter incrementum Feudi extrinsecum, quod facto Vasalli eidem accessit, & intrinsecum, quod sine illius facto, ex ipsâ rei naturâ, vel alio modo, Feudo est unitum Quoad incrementa Feudi, quæ facto Vasalli accesserunt, subdistinguendum inter Jus Commune Feudale, & Saxonicum: Illo Meliorationes & ædificia â Vasallo exstructa, cum Feudo ad Agnatum Successorem vel Dominum non devolvuntur, sed Hæredibus Vasalli cedunt. *c. un. de Investit. in re. alien. factâ. 2. F. t. 8. & c. un. 2. F. n. 28.* Hic, ædificia â Vasallo constructa, ad Dominum & Feudi Successorem non verò ad Hæredes defuncti perti-

tinent. *Land-Recht/ lib. 2. a. 21.*
Nov. Const. Elect. Aug. p. 3. const. 31.
def. 1. Ampliatur 1. nihil interest, an
 ædificia utilitatis, an vero volupta-
 tis causa fuerint posita. *Carpzov.*
d. c. def. 2. Ampliatur 2. in his quæ
 terræ, vel parietibus Domus affixa
 sunt, was Erd-Nied- und Na-
 gelfeste ist. *Dn. Carpzov. d. c. def. 5.*
confer Dn. Struv. d. l. n. 4. Limita-
 tur, 1. in reliquis meliorationibus.
Carpzov. Sic impensæ fructuum caus-
 sâ factæ, eo casu quo fructus Domi-
 no vel Agnatis obveniunt, Heredi-
 bus Vasalli omnino restituendæ
 sunt. *Harttm. Pistor. p. 1. q. 24. n. 72.*
 Limitatur 2. in Ædificiis, quæ post
 mortem Vasalli Heredes Allodiales,
 antequam Successores vel Dominus
 Feudum apprehenderent, extrue-
 re coacti fuerunt. *Pistor d. l. n. ult.*
Carpzov. d. c. def. 4. Extrinsicum
 Feudi augmentum, quod sine facto
 Vasalli accessit, aut facto quidem
 Vasalli accessit, Feudo ut Feudo,
 si vi-

si videlicet incrementum hoc Vasallus à Domino concedente recognoverit, ad Dominum aut Successores spectat. *Harttm. Pistor. p. 1. quest. 42. n. 45. Carpz. d. l. def. 5.* Hisce addendū, quod electio Domino competat an velit meliorationes Vasalli Heredibus auferri, an verò pretium earum persolvere, *Harttm. Pistor. d. q. 42. nisi arbitrio Judicis æquitatis intuitu aliud videatur. Harttm. Pistor. d. q. n. 10. ubi de æstimatione meliorationum pretii que vid.*

n. II.



CAPUT X.
 DE JUDICIO
 FEUDALI,

SUMMARIUM.

- I. Tria circa Judicium Feudale consideranda sunt; Actiones, Judex & Processus.
 II. Actiones competunt tam Domino quam Vassallo.
 III. Judex Causarum Feudalium quis. & IV. V. VI.
 VII. In Processu Feudali Jus Commune servatur, nisi de Jure Feudali singulare quid introductum sit.
 VIII Specialia Processus Feudalis.

§. I.

PER Judicium hinc intelligimus legitimam disceptationem rei Feudalis controversæ sub Judice institutam; Ubi tria potissimum consideranda veniunt; 1. Actiones Feudales competentes, 2. Judex causarum Feudalium, forumque competens;

I

Pro-

3. Processus, seu modus proponendi exercendi eas.

§. II, Actiones Feudi nomine competunt tam Domino quam Vassallo, eorumque liberis & Agnatis. Sic uterque suam ex Feudo beneficiariam habet actionem; Ille directam quidem, quâ petit, ut Servitium in Investitura, expressè, vel tacitè comprehensa, sibi præstet Vasallus; *Alvar. Feud. 2. t. 24. §. 1.* Qua & Senior adversus extraneum possessorem vel detentorem utitur: *2. F. t. 2.* Hic verò utilem, quam adversus Dominum, de in Feudi possessionem immittendo, instituit, quaque ea persequitur, quæ vi Contractus Feudalis Dominus ipsi debet. *2. F. t. 26. §. si facta. & ibi Dd.* Quamvis ea etiam Domino, in casu Feudi per Feloniam, & aliam Vasalli culpam amissidetur. *2. F. t. 55. Sehrad. p. 9. p. pr. 2. sect. 9. 22.* Non solum autem Vasallus se utili in rem actione, *2. F. t. 8. §. rei autem.* & quæ Dominium
utile

actione revocare potest. *Schrad. p. 2. p. pr. 9. n. 49.* Integrum quoque est filiis Vasalli, & iis deficientibus, ejus Agnatis, si res Feudalis absque eorum consensu alienata fuerit, jure successionis eam vindicare, 2. *F. r. 83.*

§. III. Judicem causarum Feudalium quod attinet, alius atque alius erit ratione Personarum, alius verò ratione rerum. Contentio enim aut est inter Dominum & Vasallum, aut inter Convasallos; vel Lis est de Feudo Regali, vel non Regali.

§. IV. Si contentio sit inter Dominum & Vasallum, causæ cognitio coram Paribus Curia ventilatur, *per text. 1. F. r. 10. & 2. F. r. 16. 19. 20. 22. 39. §. 1. r. 55. §. fin.* qui ab utraq; parte eligi debent. 2. *F. d. t. 16. circa fin. Gail. 2. Obs. 34. pr.* Si tamen alteruter contumax sit, ab uno electi cognoscant, *arg. l. 22. §. 1. ff. de fideic. libert.* & sic electi inviti judicium subire coguntur. *F. F. communi*

ter in d. t. 16. de novo verò Jure non tenentur. *arg. c. un. 2. F. d. t. 55.* Fal- lit, 1. Si non de Feudali, sed alia re, sit inter Dominum & Vasallum con- tentio. *Rittersh. 2. Feud. c. 9. n. 6.* 2. Si Lis oriatur inter Dominum & Extraneum, vel inter Vasallum & Extraneum 2. *F. t. 43. §. Si Vasal- lus de beneficio. §. t. 26. §. si autem t. 34.* 3. Si numerus Parium sit nimis exi- guus, aut non omnes idonei. 2. *F. d. t. 16.* 4. Si Pares in eâdem causâ de- beant esse testes, In quibus casibus Judex Ordinarius, vel Arbitrarius adi- ri, & actor forum rei sequi debet. *Rittersh. d. l.*

§. V. Si verò controversia sit de Feudo inter duos pluresvè Conva- sallos, Judex competens erit Domi- nus Feudi; *per text. in §. 2. vers. prater ea. t. 55. 2. F.* Quod non tan- tum locum habet inter Vasallos Laicos: sed & Clericos, cum Clerici ratione Feudi forum

Laici sortiantur. *Gail. 1. Obs. 37. n. 3.*

§. VI. Si Lis est de Feudo Regali, solus Imperator cognoscit; *1. F. t. 18 & 2. F. t. 34. vid. supr. cap. V. §. 5. p. 47.* Ampliatur non Camerâ Imperialis. *per Ordin. Cam. à Ferdin. I. Imperat. in Comit. August. Anno 1555. promulgatam lib. 2. t. 7.* Secus est in Feudis minoribus. *Gail. 1. Obs. 29.* Sin verò de Feudo non Regali, Inferior Feudi Dominus Judex erit, *2. F. t. 55. sive sit Clericus sive Laicus. arg. cap. 6. X. de foro comp.* Limitatur; *1. Si alteruter litigantium neget se esse Vassallum Domini. 2. Si causa mota cum favore, aut commodo vel incommodo Domini Feudi conjuncta est; Dum enim Paribus Curia locus est. e. un. 2. F. d. t. 55.* De loco Judicii si quaeratur, exerceri illud potest, ubicunque Dominus voluerit, salvâ tamen

tamen dignitate & more Majorum.
gl. in §. præterea, in verbo cognitio.
2. F. d. t. Sic in terris Saxoniae Ele-
 ctoralis in Judiciis Curialibus Ipsius
 Consuetudinis Lipsiæ & Wittebergæ
 res controversæ Feudales venti-
 lantur.

§. VII. De Processu Judiciii Feu-
 dalis, quod superest, tenenda est
 Regula ex *2. F. t. 1. vers. Strenuus,*
 quod in causis Feudalibus ordo
 Judiciii, qui Jure Communi usita-
 tus, servari debeat, nisi quid in Ju-
 re Feudali singulare ac proprium
 introductum reperiatur, *Gail. 2.*
Observ. 156. n. 1. Et sic eodem ordi-
 ne citatio, libelli oblatio, litis-
 contestatio, exceptiones, replica-
 tiones, probationes, conclusio
 in causâ, sententia, executio fi-
 eri solet.

§. VIII. Specialia tamen & sin-
 gula-

gularia circa hunc Processum hæc circiter sunt recepta.

1. Quod Judices Feudales de rectè judicando jurare non debeant, uti Judices de Jure Communi. *Borch. cap. 10. n. 37.*

2. Quod nec à Domino, nec à Vasallo, Juramentum Calumniæ exigi possit. 2. F. t. 33. §. 1. Secus est in Convasallo.

3. Quod citatio trina esse debeat distincta, & quidem justis constans intervallis pro arbitrio Judicis. *Gl. & Dd. in l. 22. F. 2.*

4. Quod tantum ad probationem Masculi, & quidem si Investitura nova sit, Pares admittantur. 2. F. t. 32. Secus est in Fœmina Illustri Feudum habente; *Valr. 2. Feud. cap. 3.* Investitura veteri, & à Clerico facta, 1. F. t. 26. §. hæc omnia. Item si Pares haberi nequeant, 2. F. d. t. 32.

5. Quod

5. Quod in probanda ingratitude & Felonia V. testes, & quidem summæ & integræ opinionis necessarii; 2. *F. t. 57. fin.* Quod tamen contraria consuetudine abrogatum. *Bercholt. Tr. de feud. cap. 10. n. 42.*

6. Quod actore non probante reus non statim absolvatur, sed si Juramentum referre nolit, juratò se purgare teneatur cum XII. Sacramentalibus. 1. *F. t. 10.* 2. *F. r. 33. §. Sacramentum.* Quamvis hoc cum reliquis olim se defendendi modis, Duello, & exploratione per ferrum ignitum, & aquam ferventem, non attentatur. *Schulz. Synop. J. F. c. 12. n. 57.*

7. Denique quod Appellationi in Feudo Regali ad Imperatorem faciendæ sex hebdomadæ sint præfixæ. 1. *F. t. 22. §. fin. ubi Gl. & Dd.*

Plura

Plura B. L. si desideras, Te ad
 Nobilissimi & Seculi nostri fami-
 geratissimi J Cti, Dni Georgii Ada-
 mi Struvii, Syntagma Feudale re-
 missum volo. Et sic, DEO TRI-
 UNO sit laus & honor, lucu-
 brationes nostræ expli-
 cunt.



INDEX.

INDEX RERUM
ET VERBORUM.

Cujus primus numerus Caput, al-
ter §. & tertius paginam
denotat.

A

Actiones Feudi nomine competunt tam

Domino quam Vasallo. 10. 2. 130.

Allodium opponitur Feudo. 3. 3. 20.

Allodii appellatio. ibid.

*Alienationis verbo, omnis actus per
quem Dominium transfertur, com-
prehenditur. 8. 14. 102.*

*Ascendentes de Jure Feudali non succe-
dunt. 7. 23. 79.*

De autoritate Juris Feudalis. 2. 1. 11.

C

Caroli Magni oratio ad Saxones. 1. 3. 8.

*Capitula extraordinaria cum ordinari-
is non eandem habent autoritatem.*

2. 5. 15.

De Causa Efficiente Feudi. 5. 1. 44.

*Cessante ratione Legis, ipsa quoque Lex
cessat. 4. 13. 38.*

Compi

INDEX.

*Compilatores Consuetudinum Longobar-
dicarum.* 1. 2. 8.

*Consuetudo Locis, seu Curie, specialis,
semper praefertur generali.* 2. 4. 14.

*Consuetudines Feudales habentur pro
Jure Communi.* 2. 1. 13.

De Contrariis Feudi. 9. 1. 113.

*Civis licitum est rem suam alteri in
Feudum dare, qui plenam bonorum
suarum administrationem habet.*
5. 3. 46.

D

*Damnum quod Vasallus in expeditione
facit ad ipsum spectat.* 8. 7. 94.

*Debita Feudalia, 8. 15. 103. eorumque
distinctio. ibid. §. 16. & seqq.*

*Debita in Feudi utilitatem contracta
ex Feudo solvuntur. ibid. 18. 104.*

De Divisionibus Feudi. 4. 1. 24.

*Domani conservandi & augmentandi
media.* 4. 17. 40.

Dominus vel Dominus, der Lehn-Herr.
5. 1. 45.

*Dominium utile sub obligatione ad fi-
dem exhibendam Vasallo constituitur.*
3. 2. 18.

Dotatio

INDEX.

- Dotalitium*, 8. 19. 105. *ejusque causa*
επιγατρικη. *ibid.* 20. 106.
Ad Formam Dotalitii spectat, ut mo-
dum usitasum non excedat. *ibid.* 21. 106.
Constituto Dotalitio mulieri datur ele-
ctio, an dotem illatam repetere, vel
flagitare Dotalitium velit. *ibid.* 22. 107.
Effectus & contraria Dotalitii. *ibid.*
23. 109.

E

- Ecclesiastici non tantum de bonis propri-*
is, sed etiam Ecclesie, Feuda concessere
possunt. 5. 5. 47.
Exheredati Liberi in Feudo succedunt.
7. 24. 81.
Expectantia in feudum alicui ob summam
in Rempubl. merita concessa. Successori
displicere nequit. 7. 12. 96.

F

- Felonia vel in comittendo vel omittendo*
consistit. 9. 1. 114.
Feudi derivatio. 3. 1. 16.
Ejusdemque varia acceptatio & definitio.
ibid. 2. 17.
Divisio Feudi. in proprium & impropri-
um. 4. 1. 24. *segg.*

Feudi

INDEX.

- Fendi proprii natura.** *ibid.* 2. 24.
- Fenda ad officia honesta in pace obeunda quoque conceduntur.** 1. 3. 9.
- Initia Fendorum olim erant valde tenuia.** 1. 4. 9.
- An liber Fendorum sit authenticus?** 2. 1. II.
- Fendum antiquum Vasallo ut novum in prejudicium aliorum Agnatorum concedi nequit.** 4. 6. 29.
- In novo Fendo de solius Domini, in antiquo vero, etiam de Agnatorum prejudicio agitur.** *ibid.* 6. 30.
- Fendum per Vasallum refutatum eum in finem, ut de eo filii investirentur, paterni Fendi naturam retinet.** *ibid.* 6. 31.
- An vetus intelligatur Fendum, de quo amisso antea ob Feloniam, ex gratia filii Vasalli sunt investiti.** *ibid.*
- Num Fendum vetus esse desinat, si filius hereditate paterna abstinens a Domino investiat.** *ibid.*
- In dubio Fendum pro veteri & masculino presumitur.** *ibid.* p 32. & 36.
- Fenda empti nonnulli propriis annuuntur.** *ibid.* 12. 36.

In

INDEX.

- In Feudo empto, Investitura semper attendenda est. ibid. p. 37.*
- Feuda quæ Imperio aperiuntur in usum Imperii servari debent. 5.5. 48.*
- De Fine & effectu Feudi. 8. 1. 87.*
- Feudum amittitur vel ob culpam Vasalli, vel extra eam. 9. 1. 114.*
- Ad quem Feudum extinctum recidat. 9. 8. 120.*
- Fides Vasalli est jurata. 8. 3. 87.*
- Fides tanquam substantiale Feudi remitti nequit. ibid. 88.*
- Filiis in Feudo equaliter succedunt, etiam ex diversis matrimoniis nati, modo sint consanguinei. 7. 24. 80.*
- Femine in dignitate Regali regulariter non succedunt. 4. 5. 27.*
- An Femine in Feudo Ecclesiastico succedant? A. 4. 13. 38.*
- An Femine Feuda dare possint? A. 5. 6. 51.*
- De fructibus Feudorum. 9. 9. 121.*
- Fructus sunt vel Industriales, vel Civiles, vel Naturales. ibid. 123.*

G

*Guardia vocabulum custodiam significat
4. 22. 42.*

Galstala

INDEX.

Gastaldia, Gastaldus. *ibid.* 23. 42.

H

Hermaphroditietiam Feuda concedere
possunt. 5. 7. 51.

Vocabulum Heres, in materia Feudali,
ex adjecto Heredem sanguinis infert.
4. 10. 35.

Homagium, die Erb-Huldigung/ ejusque
cum firamento fidelitatis differentia.
8. 3. 89.

I

Imperator & Rex Romanorum in Impe-
rio Romanorum Feuda regulariter
confert. 5. 5. 47.

An Imperator vel Princeps in suo terri-
torio bona subditis invitis pro lubito
auferre, & alteri in Feudum conce-
dere possit. N. 5. 5. 48.

De Impensis & Meliorationibus Feudo-
rum. 9. 10. 125.

Instrumentum Feudale, der Lehn-Brieff/
ejusque clausula varia. 7. 11. 64. &
seqq.

Investitura, die Belehnung. 7. 3. 61. e-
jusque derivatio, definitio & divisio.
ibid. 4. 62. & seqq.

In-

INDEX.

Investitura Feudi veteris quando petenda, 7. 13. 69. & quo tempore, ibid. 15. 70.

Investitura Feudi veteris & novi differentia Forma essentialis. ibid. 15. 70.

Divisio Investitura in Simultaneam & non Simultaneam. ibid. 16. 71.

Ejusdem definitio, requisita Forma, Finis, Effectus & extinctio. ibid. 17. & seqq.

Investitura tenor in decisione controversiae Feudalis ante omnia inspiciendus est. 2. 4. 14.

Investitus de Feudo Regali, omni potestate & Jure, in terris ad Feudum hoc spectantibus, quo Imperator in suo utitur Imperio gaudet. 4. § 28.

Juris Feudalis utilitas. Proæm.

Jus Feudorum est antiquissimum. I. I. 5.

Juris Feudalis definitio. 2. 2. 13.

Jure Feudali obligantur tam Seculares quam Ecclesiastici. 2. 3. 14.

Jus personale, quod Domino in personam Vasalli datur, è fide fuit. 8. 2. 87.

Jus Feudale Saxonicum in Provinciis Saxonis non adeo usureceptum est,

K

scd

INDEX.

sed potius secundam Juris Communis
regulas responderi & judicari solet.

8. 7. 94.

Jus reale, quod Dominus in Feudo habet,
in proprietate ejus est. 8. 9. 95.

Jus personale, quo Dominus Vasallo ob-
strictus in reciproca fide & obligatio-
ne consistit. 8. 10. 96.

Jus reale Vasalli duplex. 8. 11. 97.

De Judicio Feudali. 10. 1. 29.

Tria circa Judicium Feudale consideran-
da sunt; Actiones, Index, & Pro-
cessus. *ibid.*

Judex causarum Feudalium. *ibid.* 3. 132
& seqq.

L

Legitimati per subsequens matrimoni-
um in Feudis succedunt. 7. 24. 80.

Legitimati per Rescriptum Principis,
Jus in successione quesitum nemini
auferre possunt. *ibid.* p. 81.

Liga. 4. 7. 33.

M

De Materia Feudi 6. 1. 4.

De Modis constituendi & acquirendi
Feudum. 7. 1. 59.

Modi

INDEX.

Modi constituendi & acquirendi Feudum inter se differunt. 7. 1. 60.

Modus constituendi Feudum est conventio quadam inter duos. ibid. 2. 61.

Acquirendi Feudum modi communiter tres à Dd. constituuntur. ibid. 3. 61.

N.

Nobilitas est qualitas personæ non rei. 4. 4. 6.

Terra accipientem nobilitare nequit. ibid.

De notatione & definitione Feudi. 3. 1. 16.

O

Occasio est causa Feudorum instituentorum. 1. 3. 8.

Onera Vasalli filios & heredes defuncti eadem sequuntur. 8. 27. 112.

Origo Feudorum. 1. 2. 5.

P

Personæ Feudum concedentes, sunt vel Ecclesiasticæ, vel Seculares. 5. 4. 46.

Prescriptio. 7. 3. 61.

Prescriptio pro Investitura habetur. ibid. 22. 76.

Ejusdem requisita. ibid.

Quod

INDEX.

Quod quis non suo nomine possidei, nunquam prescribit. *ibid.* p. 78.

In Processu Feudali Jus commune servatur, nisi de Jure Feudali singulare quid introductum sit. 10. 7. 135.

Specialia Processus. *ibid.*

Q

Qui prohibeantur Feuda dare. 5. 8. 52.

Quilibet Feudum accipere, vel de illo investiri potest, qui non reperitur prohibitus. *ibid.* 9. 53.

Quod directio fieri prohibetur, id nec per indirectum fieri permittitur. 4. 9. 34.

R

Refutatio Feudi, die Lehns-Auffündigung / ejusdemque divisio. 8. 13. 99. & 100.

Res in dubio pro allodiali non vero feudali presumitur. 3. 3. 21.

Res soli dicuntur vulgo unbewegliche Güter. 6. 2. 54.

Res solo coherentes pars quasi soli sunt. *ibid.* 3. 55.

Res que immobilibus annumerantur. *ibid.* 4. 55.

Res

INDEX

*Res incorporales neque ad numerum
mobiliū vel immobiliū aggregan-
tur. ibid. 5. 56.*

*Re immobili in Feudum data, iurae-
tiam concessa intelliguntur. ibid. 6. 56.*

*Res quae alienari prohibentur, in Feu-
dum dari nequeunt. ibid. 7. 57.*

*An res mobiles in Feudum dari possint.
N. ibid.*

*Residuum pretii, quo Feudum est em-
ptum, ad debita Feudalia pertinet.
8. 18. 105.*

Reverentia & Honoris effectus.

S

*Salarium Advocati, qui causam Feu-
di utiliter gessit, inter debita Feuda-
lia numeratur. 8. 18. 105.*

Servitia sunt de natura Feudi. 8. 5. 90.

*Subinfendatio, ejusdemque requisita.
ibid. 13. 98.*

Successio Feudalis. 7. 23. 78.

*Successio Descendentium & Collaterali-
um. ibid. 24. & 25. 79. & 81.*

*Qui à successione Feudali excluduntur.
ibid. 26. 83.*

The-

INDEX.^s

I

Theſauri in fundo Feudali inventi Vaſalli efficiuntur. 8. 12. 97.

V

Vaſallus, Ein Gefell / Lehn- oder Dienſtmann / 5. 1. 45.

Vaſallorum olim Varia erant genera. ibid. 2. 45.

Vaſallus Feudum Francum poſſidens Domino ad fidelitatem tamen ſervandam tenetur. 4. 13. 37.

Quando Vaſallus Dominum juvare tenetur, 8. 6. 91.

Liberum Vaſallo eſt, an per Subſtitutum acceptabilem ſervire velit, an verò dimidiam partem redditus unius anni præſtare. 8. 6. 92.

Si Vaſallus duos habeat Dominos inter ſe belligerantes, utrum ſequi debeat. ibid.

Vaſallus ſervitia militaria ſumptibus Domini præſtat. ibid. 7. 93.

Quibus de cauſſis Vaſallus à neceſſitate ſerviendi excuſetur. ibid. 8. 95.

Vaſallus Feudi conditionem tantum meliorem, non vero teteriorem facere poteſt. ibid. 13. 98.

Va-

INDEX.

Vasallus Feudum alienare nequit. ibid.

14. 101.

Vasallus principaliter in Dominum delinquit vel in vitâ, vel famâ, vel bonis. 9. 3. 114.

Quomodo per consequentiam in Dominum Vasallus delinquat. ibid. 4. 116.

In extraneum delinquendo Vasallus Feudum cadit. ibid. 5. 117.

Quomodo culpa omissionis Vasallus Feudum perdat. ibid. 6. 117.

Quomodo extra culpam Vasalli Feudum extinguatur. 9. 7. 119.

Ususfructus in materia Feudorum implicat Dominium utile. 3. 2. 19.



ERRATA.

Pag. 39. lin. 17. *Et* pro *e*. pag. 42. lin. 9. pro pro
per. pag. 57. lin. 14. Broch. pro Borch. pag. 67. lin. 6.
substanta, pro Substantia. pag. 73. lin. 12. Inve
stituta pro Investitura. pag. 82. lin. 5. eligit,
pro elegit. pag. 118. lin. 15. tum, pro tu. pag.
120. lin. 4. F. pro 2. p. 135. l. 5. Celsitudinis pro
Celsitudinis, in ladic. lit. E. concessere, pro con
cedere.

AB 50 B 3
/ 174

ULB Halle


3

006 633 269



50B $\frac{3}{2,21}$

VD 17





DFG

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

Digitalisierung von Drucken des 17. Jahrhunderts

VD17 39:156102X

**Jacobi Ritteri Secret. Saxon. Hall. Lucubrationes
Feudales, Quibus Totum Ius Feudale Accurata
Methodo Delineatur**

Ritter, Jacob (Halae Saxonum 1668)

AB 50 B 3/h, 21



39:156102X

Visual Library

